

Justus Zinzerling Eberhard Deichmann

## Dissertatio De Thesauris

Rostochi[i]: Pedanus, 1620

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730874346>

Druck Freier  Zugang



RU. jur 1620.

Justus Zingerling

Resp. Eberh. Dickmann.



DISSERTATIO  
DE  
THESAURIS,

Quam

22


OPITULANTE JEHOVA,  
Permissu Amplissimi Jctorum Ordinis  
in antiquâ & celeberrimâ ad Varnum  
Academiâ

*Publicè ventilandam exhibet*

IUSTUS ZINZERLING  
J. U. D.


RESPONDENTE  
BERNHARDO DICKMANNO  
Osnabrugâ - Westph.

*Ad diem XXII. Martij  
in acroasi majore.*



*Matth. 6. Vers. 19. 20. 21.*

Nolite thesaurizare vobis thesauros in terrâ: Ubi ærugo & tinea demolitur: & ubi  
fures effodiunt & furantur. Thesaurizare autem vobis thesauros in cœlo:  
Ubi nec ærugo neq; tinea demolitur: & ubi fures non effodiunt, nec furantur.  
Ubi enim thesaurus tuus, ibi & cor tuum.



ROSTOCHI  
Typis JOACHIMI PEDANI, Anno 1620.

DISSERTATIO

3

THESSAURIS


Quarta

ORIGINE ET

Formis Amalissimae Georgii Ordinis  
in Academiæ & celeberrimae Vniuersitatis  
Academicae

Publicè examinandam exhibet

INSTITUTUS BEROLINENSIS



EBERHARDI

Mathias F. H. G. G. G.

Die 10. Martii 1774. In Aula Magna  
Vniuersitatis Berolinensis. Publicè  
examinatus et approbatus. Actum  
in Aula Magna Vniuersitatis  
Berolinensis.

1774. Martii 10. Die  
1774. Martii 10. Die

601 1209

Dissertatio  
DE  
THESAURIS.

I.



THESAURI vocabulum ( quod mediâ atate aut non adeo imâ THESAURUS scripserunt : scilicet quòd hac literâ interjectâ molliùs proferri existimarent , ut deciens , viciens , totiens , quotiens , vicensimus , concenserrat , formosus : Ant. Aug. lib. 2. emendat. cap. 6. Scholiast. Juvenal. Petri Pithœi Sat. 13. v. 199. Guil. Forner. 3. rerum quotid. 27. Dempsterus Paralip. ad Rosini antiq. Rom. lib. 7. c. 31. pag. 560. ) sive ab antiquo Græco *θησαυρος* derives , cum Jul. Cæs. Scallig. exercitat. 78. & de causis. L. L. cap. 91. Joseph. Scalig. ad Fest. pag. 26. Christ. Becm. Orig. lat. ling. in AURUM ; sive *θησαυρος* *τὸ εἰς αὐτὸν κειμένη* dictum velis , cum eodem Becmanno d. loco , Vict. Strigelio in cap. 2. Epist. ad Rom. ad Verb. *θησαυρολογεῖς* , Alciat. de verb. signif. lib. 4. Covarr. in rep. cap. peccatum. p. 3. §. 2. n. 1. de R. Iur. in 6. Donel. lib. 4. comm. cap. 14. Borchold. de Regalib. n. 91. Joan. Fungero Etymol. triling. verb. THESAURVS. quo sensu & quædam animalia *θησαυρολογεῖς* *τῆς* *τησαυρολογεῖς* audiunt , Connan. 3. comm. c. 4. n. 4. ( ut omittam tertiam etymologiam Græcolatinum hoc vocabulum efficientis Isidori lib. 15. Orig. cap. 17. ) vi utriusq; notationis plura significationis suæ ambitu includet , quàm Ictus Paulus in l. 31. §. 1. de acquir. rer. dom. definitione sua comprehendit : omneq; pretiosum quod fulgidum sit , radians , & coruscum , sive in presentem usum coacervetur , sive in futurum reponatur , secundum illos ; omne verò quod in futurum reconditur , in superhabito memoriâ reponentis exuerit , an retineat , secundum istos completetur.

A 2

2. Atq;

2. Atq; ita quidem res se habet, & passim apud diversos non inelegantes auctores legere est, neq; à receptâ vernaculè loquendi formulâ abhorret, qualvis congestas pecunias & divitias, quavis pretiosa *κειμήλια*, omnia rara & chæra hoc vocabulo indigetari, Donell. 4. *com.* 14. Quomodo Thesaurum S. Marci Venetijs, (quo de Sabell. *in hist. Venet. decad.* 3. *lib.* 6. & ex eo Phil. Camer. *medit. hist. cent.* 1. *cap.* 64.) S. Dionysij *κειμήλια* in fano Sancti-Dionysiano in agro Parisiorum; Andr. de Chesne *Antiq. Franc.* 1. *c.* 3. *pag.* 265. similesq; alibi adservatæ opes & ornamenta, aliorum thesauri & vulgi ore celebrantur. Isq; hujus vocabuli usus adeò jam olim inolevit, uti Persicam divitiarum & opulentia appellationem *Gazam*. (forsan ab oppidi thesauris regijs custodiendis destinati vocabulo mutuata, Dempst. *paralip. ad Rosini antiq. lib.* 7. *c.* 31.) quam D. Hieron. *ad 39. Ep.* per divitias; Servius *ad 1. Æn.* junctim per censum & divitias interpretatur; Suidas & Hesychius nostro vocabulo *θησαυρῶν* explicent. Quo sensu & fallente magnificarum rerum spe proverbium enatum *θησαυρὸς ἀνθρώπων*; quo de Erasmo *in Chiliad.* Eodemq; planè qui divitias colligunt & thesauros struunt *thesaurizare*, id est, colligere, in sacris passim dicuntur: Fungerus *d. loco.*

3. Quodq; teste Celso *in l.* 79. *S. l.* de leg. 3. Proculus ajebat, audisse se rusticos senes ita dicentes: Pecuniam sine peculio rem fragilem esse, peculium appellant quod præsidij causâ seponeretur: Si qui, uti bellis civilibus factitarum idem adserit, & solens hodie fit, bellorum maximè & seditionum ingruente metu hujusmodi præsidium in necessitates emergentes in numerato adservent, rectè thesaurum ipsorum lato hoc sensu dici posse, viri docti observarunt: Alciat. *lib.* 4. *de verb. signif.*

4. Atq; hos aliosq; thesauros terræ infodi non infrequens est. Aliquando nimiam diffidentiam avaros adigente ut arcanas latebras fideis & aulis suis quarant, & vel Sylvano ipsi potius credant quam Fidei: qualis fingitur Euclio Plautinus *Aulul. Scen. Fidei.* qualis item Simon iste Luciani *in Somnio*, sub lecticâ & præsepi nidum thesauris suis constituens: qualis & alius nomine ignobilis disticho tamen Platonis secundum Diog. *in vit. Plat.* *pag.* 206. aut Statyllij Flacci *juxta anthologiam nobilitatus*; cujus Auso-

Ausonias duas & quattuor alias versiones congeffit H. Stephanus in epigr. *Selectis ex Anthologia*. Unam Ausonij exhibere placet:

*Thesauro invento, qui limina mortis inibat,*

*Liquit ovans laqueum, quo periturus erat.*

*At qui, quod terræ abdiderat, non repperit aurum,*

*Quem laqueum invenit, nexuit & petijt.*

Quis & similibus ingratitude erga Deum, inhumanitatis erga proximum, & invidentiæ dicam scripsit Leo Philosophus Nov. 51. Hebræorum priscorum de his defossoribus sententiam refert Bodin. *dæmonol. lib. 3. c. 3.* Herodis Sophistæ hanc in rem dictorium vide infra *thes. 8.* Quandoq; sit hoc incendio, seditionibus, bellis & hostilibus invasionibus, profectioibus etiam in longinqua loca; aut etiam pio studio posteritati in emergentes necessitates utibilem rerum gerendarum nervum relinquendi, & similibus causis suadentibus, adeoq; inculpatâ custodiæ curâ imperante; l. *peregre. 44. ff. de acquir. vel amit. poss.* Quomodo etiam non terræ solum sed & aquis immersa & abscondita pretiosiora sua habuisse quos constat. Refert exemplum recens de Nobili Germano, sub tempus belli Germanici auspicijs Car. V. gesti, Camerarius *medit. hist. cent. 1. cap. 63.* aliud ex Dione in Trajano Decebali Regis Daciæ, thesauros regio subter vadâ Sargetiæ amnis; tum aliud ex Jornande *de reb. Gothis. Sigon. de Occid. Imp. Pandulph. Collenut. Gothorum exuvias Regis Alarici cum ingenti thesauro sub Busente amne reponentiam.* In quib; ut magna cura & diligentia fuerit custodientium, major tamen custodia eruentium fuit aut astutia aut felicitas.

5. Reconditas has opes; utut certorum adhuc & constantis memoriæ sine dominorum, ipsi tamen Jcti thesauri vocabulo aliquoties dignantur. Exempla sunt in l. *item Labeo. 22. ff. famil. ercisc. l. thesaurus. 15. ff. ad exhib. l. peregre. pr. ff. de acquir. possess. gl. in §. thesauros. Inst. de rer. divis. & in l. un. C. de thes. lib. 10.* An etiam in l. 3. §. Neratius. ff. de acquir. vel amit. possessione? Respondebimus infra. Atq; inelegans non est regula, quâ adhibita discerni posse thesaurum propriè dictum (quo de infra *thes. 10.*) ab impropriè & latè dicto, vult Zasius ad d. §. Neratius. n. 7. Uti scilicet citra determinationem adjectam, in propriâ; cum illâ aliquâ positam,



in hac impropriâ accipiendum sit: quam egregiam ipse manu-  
ductionem vocat.

6. Similiter quod Princeps aut Respublica colligit ac recon-  
dit, uti poscente rerum usu necessaria inde promantur, rectè the-  
saurus ipsius hoc sensu vocatur. Nicol. Bestius *de pact. famil. illustr.*  
pag. 730. *Camerar. med. hist. cent. 2. c. 73.* Quin & Germanica vox  
Schatz ut privatorum sic etiam Principum & Rerump. recondi-  
tis gazis competit: haud dubiè à censendo sive æstimando vult  
Schätzen deducta, quod magna istarum pecuniarum pars ex por-  
tionibus secundùm censum & æstimationem cuiusvis rebus im-  
positam contributis constat: uti inter diversas variarum pro-  
fisco excogitatarum exactionum species & appellationes aliquot  
etiam hoc vocabulo venientes recenset in elegantî suâ de con-  
tributionib. disputatione Caspar Kloeke JC. uti sunt Schlägelschatz/  
Vieheshatz/ Betteshatz/ Küchenschatz/ Taffelschatz/ inde & ærarium  
die Schatzkammer. Nisi fortè rectiùs dicatur, à censu & æstima-  
tione alioquin omnem etiam privatorum thesaurum dictum,  
quod non nisi quæ magni æstimamus, reponamus.

7. Utq; pecunijs publicis thesauri nomen imponitur ho-  
dieq; sic & inde vocabulum adsciscunt illarum administratores,  
uti Thesaurarij (quod nomen & olim in Ecclesiâ obtinuit Sa-  
crista sive custos ornamentorum & vasorum sacrorum, *c. perlectie.*  
*dist. 25. Matth. Steph. lib. 1. Instit. iur. Can. cap. 8. n. 25.*) Principum  
vocentur. Varia illorum genera annotat Fr. Raguellus *Indice des*  
*droits Seigneuriaux, in verb. Thesoriers.* Bernard. de Girard Seigneur  
d' Hailan, *de l' estat & Succes des affaires de France, liur. 4. pag. 379. b.* Pul-  
chreq; (ut *ἐν πρῶτῳ* hoc tangam) Harmoniam hac in parte  
officiorum modernorum in Galliâ cum veteribus instituit Bu-  
dæus *annot. prioribus in Pand. ad tit. de quæstorib. & ex Budæo & Joh.*  
*Pyrrho Barth. Chals. Catalog. glor. mundi, pag. 6. conf. 16.* uti Gene-  
rales Financiarum respondeant præfectis ærarij; Receptores verò  
generales, Tribunis ærarij; Receptores particulares, coactori-  
bus, *δοτοὶ τῶν πρῶτων*; Contrarotulatores Antigrapheis, observatori-  
bus, custodibus. A Budæi tamen temporibus roties hæc officia  
tantopereq; reficta & in artem tam obscuram redacta fuisse, ut  
vix quisquam, nisi sit in illorum, qui has tenebras illis invex-  
runt,

runt, cabalâ nutritus, quidquam intelligere possit, justè conquiritur Hailan dicto loco. Tum illa etiam comparatio Budæana cum grano salis est accipienda: quòd complura sit elicere, quæ magnam differentiam inter istos antiquos & hodiernos officiales efficiunt: uti etiam longè diversa olim apud Romanos fuit ærarij administrandi ratio: quod & ipse annotat Bud. dict. loc. in paulo præcedentibus, Chassan. considerat. 21. Steph. Gratian. discept. forens. c. 304. n. 1. Bursat. tom. 3. consil. 325. n. 26. qui & Menoch. Curt. Dec. Comensem & Alciatum in consilijs allegant ad hoc, & Peregr. de jur. fisci.

8. Idem verò hoc nostrum vocabulum per metonymiam, pro gazophylacio, cimeliarchio, &, ut Fungerus loquitur, pro penu & promptuario rerum pretiosarum, sive ipsius thesauri repositorio non infrequenter ponitur. Alciat. 7. parerg. 1. Quomodo & Cicero Memoriam vocat omnium rerum thesaurum. Scitumq; est quod Agellius narrat: Servium Sulpicium quid Favissæ Capitolinæ essent, sciscitatum à M. Varrone inter alia edoctum, Q. Valerium Soranum solitum dicere, quos thesauros Græco nomine appellarent, priscos Latinos favissas dixisse, quod in eos non rude ac argentumq;, sed flatu signatq; pecunia conderetur. Conjectare igitur se detractam esse ex eo verbo secundam litteram, & favissas esse dictas cellas quasdam & specus quibus aditui Capitolini uterentur ad custodiendas res veteres ac religiosas. Agell. Noct. Att. lib. 2. c. 10. referuntq; Ferrar. ad §. thesauros. l. de rer. divis. Alciat. d. loc. Sic carcer Messeniorum, in quem Philopœmenes coniciebatur, Thesaurus nuncupatus fuit, testibus Plutarcho in Philopamene, Livio lib. 40. hist. ab urb. cond. & ex his Theod. Zuing. theatr. vit. hum. vol. 23 lib. 2. p. 3966. pulchrè Jos. Scalig. ad Fest. in Favissas. pag. 62. annotatq; hoc inter alias apud diversos populos carcerum appellationes Susannæus in enodat. vocabulorum rariorum ad vocem CORVI. Indubiè quòd quemadmodum in thesauros reconduntur & inde sumuntur ea quæ utilia sunt, sic in carceres compingantur & ex iisdem ceu promptuariâ cellâ depromantur facinorosi ad supplicium: uti ferè Sofia Plautinus ait Amphitr. Act 1. Sc. 1. Nec dubito hunc locum ob oculos habuisse Tertull. cum in Apolog. cap. 47. gehennam describit, quod sit ignis arcani subterraneus ad panam thesaurus. Hanc etiam interpretationem alteri antè in conjectan. ad Varron.

Varron. pag. 110 à se facta Scaliger ad illum locum Varronis de *L. L.* lib. 6. præfert: Sed quod Delphi in æde foramen ad latus est, quoddam, thesauri specie, quod Græci ἑμ. Φαλὸν dixerunt. Verba ejus ad Festum sunt: Thesauri specie, hoc est, ad modum illarum favissarum, quod Græci ἑμ. Φαλὸν vocant. Addit ibidem hac eadem translatione dixisse Nævium in suo Epitaphio:

Itaq; postquam est Orcivo traditus thesauro. i. e. sepulchro.

Quod & Desid. Herald. ad apologet. Tertull. d. lo. monet, cum adserit thesaurum sapissimè pro reconditarum rerum & quasi ἑμ. Φαλὸν repostorio dici. En igitur quàm, ut in pluribus alijs, sic & in favisse & thesauri vocabulis Usus suam exercuerit tyrannidem. Reciprocam tamen esse hanc translationem non indignum est notatu, & uti thesauri nomen carceribus, sic vicissim horum illi competere: Philostrat. de vit. Sophist. lib. 2. in Herode ex versione Morelliana: Enimvero decere ajebat (Herodes Sophista) rectè opibus utentem. egentibus quidem suggerere ne egeant; non indigentibus etiam, ut ne forte veniant in egestatem. Opes verò non ferentes & parsimonia coërcitas mortuus appellabat. Thesauros, ubi quidam pecunias recondunt, divitiarum carceres nuncupat. Quod Valascus in fin. quest. 15. ex Ferrand. Aduensi ait, Rastinum Corinthium thesauros Plati carceres appellasse, fortassis aut hic ipse est locus Philostrati, ubi signatè ὡλίστα δεσμωτήρια, aut ex illo expressus.

9. Quin & in ejusdem ipsius vocabuli usu eò itum fuit, ut in sequiorem partem abreptum quorumvis malorum cumulum sæpè denotet. Quod Nonius Marcellus in Plauto observat his verbis: Thesaurum etiam pessimæ rei copiam dici Plautus voluit: Amphitr.

Qui domi uxorem meam impudicitia in pedivicit, teneo thesaurum stupri.

Hinc thesaurus iniquitatis in sacris, Matth. 6. v. 10. thesaurus mali, Plaut. in Mercat. Et in Gnomis parœmijsq; à Grutero editis tom. 1. pag. 229.

Ἡσσωθὺς ἐστὶ τῶν κερκῶν κερκὴ γονή.

10. Hastenus de vi hujus vocabuli latè sumpti ampliter se diffundente. At quod alibi faciunt Jcti, id & hic usurpasse ipsos perspicuè palàm est, ut nomen multis alijs rebus vi ingenitâ commune, uni alicui proprium fecerint, simplicitetq; prolatum de

de illâ solâ intellectu voluerint. Thesaurum igitur strictè accēptum sū minus prius certè nec imus illorum definijt, quòd sic *vetus quædam depositio pecunie, cujus non extat memoria, ut jam dominum non habeat*: l. 31. §. 1. ff. de acquir. rer. dom. Alcatus leviter immutat: Est pecunia ab ignotis dominis vetustiore tempore supra hominum memoriam reposita: l. b. 7. parerg. c. 1. Calsiodorus item: Est depositiva pecunia que longâ vetustate competentes dominos amisit. 6. par. epist. 8. Cur tam variè? Verisimile est non potuisse ipsos concoquere *de depositio*, quòd non prædicetur *de thesauro*, eventiatq; ut causa prædicetur de suo effectu in casu recto. At verò excuset Jctum definitionis auctorem, non solum quòd & ipse Justinianus fidejussionem definiit obligationis accessionem, §. 5. Inst. de fidejuss. quodq; Philosophi ipsi & Medici hujusmodi prædicationibus per concomitantiam in definitionibus suis utantur, illaq; apud ipsos, teste magno nostri avi Philosopho, magni fiant; sed & quòd, cum hanc definitionem effingeret, non in illis versabatur disciplinis in quibus ad vivum omnia refecanda, Arist. 1. Eth. 2. Imperatoris Leonis definitio forsan ad nauseantem stomachum magis fecerit, quâ thesaurus explicatur, *condita ab ignotis dominis tempore vetustiori mobilia*: Sive, ut Cujac. præfert, & l. 2. C. Theod. h. t. ad stipulatur, *monilia*. Forsan & altera Imp. Friderici lib. 1. Constit. Sicularum, tit. 58. Constit. 2. ubi thesauri dicuntur *pecunie absconsa, quarum domini per probationes dilucidas reperiri non possunt*. Hæreatq; hîc & in similibus menti, quòd ad usucapionis definitionem Donellus 5. com. cap. 5. exclamat: *Hanc libertatem & alios & Iurû auctores in scribendo sibi sumpsisse, ut quamvis de eadem re scriberent, alijs tamen atq; alijs verbis uterentur arbitrato suo, dum aut dicant fastidium similitudinis, aut putant hoc vel illud magis rei convenire*. Non abluat à Jctorum & Imp. thesauri definitione illa Virgilij descriptio, 1. Æn. v. 262.

*veteres tellure recludit*

*Thesauros, ignotum argenti pondus & auri.*

Nec tamen de verè thesauro isthic sermo. Et vox *ignotum* ut capienda sit, viri docti isthic explicant, inter quos & cujus memoria nobis semper sancta, Fr. Taubm. in comm. ad Virgil. edito pag. 369. col. 1.

II. Pecuniæ vocabulum in Jcti definitione probè altera Imperatoris definitio explicat, quòd non in illo significato, quo

B

nummos

nummos solum, sicut aurum, argentum, aes signatum, sed quo-  
quamvis rem aliam mobilem denotat, sic accipiendum, l. 178.  
l. 222. de V.S. Boc. c. 3. de regal. n. 177. Muscatel. prax. crim. tit. ult. n. 74.  
Nectamen instrumenta huic pertinent, Oldr. consil. 103. alleg. ab  
Afflict. lib. 1. Const. Sic. 59. n. 1. Muscat. d. lo.

12. Ceterum ut thesaurus id sit quod esse dicitur, duo con-  
iunctim pleriq; interpretes videntur requirere: I. ut nesciat  
quis eum deposuerit: II. Ut sit absconditus ex tempore memo-  
riam hominum excedente, d. l. 31. §. 1. ff. de A. R. D. Barbat. vol. 4.  
consil. 39. n. 1. ubi remittit ad illos qui immemorale tempus expli-  
cant: Barbos. ad l. 8. §. si fundum. n. 27. solut. matrim. Gutierrez de  
tutel. p. 3. c. 26. n. 2. & var. quest. civil. lib. 4. cap. 36. n. 3. Menoch. con-  
sil. 649. Ant. Clar. Sylvius lib. sing. ad Leges iam Regias quam XII. tabb.  
ubi signatè centum annis hoc tempus definit, per l. hoc iure. §. du-  
ctus aquæ. ff. de uq. quotid. & est l. an usufructus. ff. de usufr. Mihi rem-  
penitiùs intuenti videtur ex uno & simplici requisito duo esse  
efficta (quomodo ferè in requisitis consuetudinis factum obser-  
vasse mihi videor) & ut thesaurus sit, sufficere si nullis argumen-  
tis constet quo depositore pecunia sit recondita: (quod & ad-  
struit Rebelstrâ decis. 9. p. 12.) idq; si adsit, æquè non obstat quo-  
minus hæc pecunia thesauri iure censeatur, quod certis indicijs  
constet intra memoriam hominum depositionem factam; ac  
non juvat immemorale depositionis tempus, uti fiat thesaurus,  
si vel ex inventa simul epistolâ (qualem adijci quandoq; solitam  
fuisse constat ex Donat. ad prob. Eunuchi) vel documentis alijs in-  
fallibilibus de vero depositore certa fides fiat: quod posterius &  
monuit Gutierrez de tutel. d. part. 3. cap. 26. n. 4. & 4 var. quest. jur.  
civil. c. 36. n. 5. Barbos. d. los. n. 26. Idq; non solum ex paritate  
rationis & naturalis æquitatis, sed & quod vetustati temporis  
temperamentum & modum adjiciat Ictus, ut jam dominum non ha-  
beat: vel saltem quod ut jura, sic in libris juris definitiones si com-  
prehendant ea quæ τὸν τὸν ἀλλοτρίων accidunt, præteritis quæ ἐν  
τῷ ἑαυτοῦ, ad quæ tamen per analogiam quandam aptari pos-  
sint, veniam mereantur, l. 3. ff. de LL. uti etiam illa, quæ ex com-  
muni populariq; consuetudine conceptæ sunt: ut hoc quidem  
non ineleganter explicat Fr. Conn. 3. Comment. cap. 4. n. 3. suæq;  
sen.

sententia ad stipulatorem invenit Frid. Scot. *veff* 15. n. 17. lib. 6. *refe*  
**Mench.** *consil.* 649. n. 6. & novissimè Gilkenium *ad §. thesauros.* l.  
*de acquir. rer. dom.* n. 39. & *seqq.* qui adserit fieri posse ut pecunia  
nondum per annum imò ne mensem quidem adspota, in the-  
sauri causam deduci possit, adducto exemplo puellæ, naufragi  
planè incognoscibilis cadaver in ulnarum amplexu bulgam au-  
reis refertam continens, in littore Frisæ invententis. Simile  
fuisse, quod ad Albis ripam haut ita dudum contigit, quum pisca-  
tores sceleton hominis catena aurea circumiti anno sâ salicis sti-  
piti adhaesum offenderunt: nisi ex catena constitisset de persona,  
quæ paucis ante annis cum alijs in eadem cymba vectis impetu  
glaciei submersa fuerat. Sed in orbitam. Videtur idem nobis-  
scum quâ temporis vetustatem velle Bursat. *consil.* 209. n. 12. tom. 2.  
cum ait: *Thesaurus probatur ubicunq; reperitur pecunia abscondita ab igno-  
te, vel ubicunq; per tantum tempus fuerit recondita ut ejus non exierit memoria.*  
Nec abluat ad eò Molina *de l. & l. tract. 2. diff. 53.* ubi duo requisita  
quidem facit, sed quæ ipso effectu unum constituent: *Unum,* ait,  
*ut fuerit quondam repositus: Alterum,* ut tantum intercesserit tempus, quod  
domino jam careat. Quo obtento corrumpit alterum quod consecuta-  
rium inde faciunt Barbos. *ad l. 8. §. si fundum. n. 26. ff. solut. matrim.*  
Guttierrez *de tutel. d. loc. n. 4. & d. quest. 36. n. 6.* nempe hujusmodi  
pecuniam de cujus depositore nullis indicijs constat, ex circum-  
stantijs tamen fides certa fit non superare hominis memoriam  
ejus depositionem, tanquam rem vacantem fisco cedere, *ex l. 1. §.*  
*pen. C. de bon. vacant.* Nec dictum Baldi *in l. 1. post princ. de rer. divis.*  
ab illis allatum nos etiam expugnat, nisi antiquas etiam  
thesaurorum depositiones loco suo ex linea modorum acqui-  
rendi Iuris Gentium motos velimus. Iange Don. 4. *comm. 14.*  
*inicio.* Aliud est cum vel ex syngrapha adjecta vel alijs certis  
conjecturis apparet de depositore, qui tamen heredes non reli-  
querit. Tunc enim tanquam rem vacantem fisco cedere verius  
est: *l. 1. l. pen. C. de bon. vacant.* Barb. *d. loc. n. 26.*

13. Quid igitur dicendum, si talis pecunia inveniat ex cu-  
jus inscriptione constat illam intra memoriam hominum signa-  
tam fuisse? Thesaurum esse simpliciter negant, & emptorem  
legibus de thesauro scriptis nihil juvari volunt Alciat. 7. *patet. l.*

n. 2. in f. Garl. de expens. c. 22. n. fin. Barbos. ad d. l. 8. §. si fundum. n. 25. in f. ff. solut. matrim. Gutierrez de tutel. d. lo. n. 3. & lib. 4. var. quest. civil. cap. 36. n. 4. qui & Andream Siculum in consilijs, Forcatulum in dialogis, & alios allegat. At verò thesaurum esse nil erubescimus dicere ex modò dictis thes. præced. Si scilicet alioquin nullæ verisimiles conjecturæ de vero depositore appareant, neq; ex adjectâ scripturâ, neq; etiam loci qualitate: putâ si in loco remoto, ad quem cuivis quidvis faciendi causa accessus patebat, inveniatur. Nam si novitia sit pecunia & in nuper emtis ædibus eruatur, faciliè suboriri possunt & cumulari præsumptiones pro venditore: vide Regneri Sixtini consilium, n. 26. Cæterùm quod Artesiensis camera judicio Curator Pæuperum, adversus legatarium ædium dominum thesaurum in illis inventum ex hoc fundamento, quòd Philippis argenteis intra 40. annos. cufis constaret, obtinuit: in illo non deesse putamus quod juris & æqui observans desiderare possit. Refert Renat. Chopp. de morib. Paris. lib. 1. tit. 1. n. 30.

14. Nec difficile puto futurum decisu ejus onus hic sit probare, inventoris non extare depositionis dominive memoriam & thesaurum esse contendentis, an vindicantis, qui extare memoriam adfirmat, thesaurum negat? Regnerus Sixtinus in eleganti consilio suo de invento thesauro n. 23. tom. 1. Marpurg. consil. 13. quod & Gylmanus exhibet integrum lib. 2. rer. judicat. in Cam. Imp. cap. 52. pressò tamen nomine; Is, inquam, ei qui adserit pecuniam aliquam thesaurum esse, onus probandi incumbere ait, & allegat Joan. Fabr. ad §. thesauros. l. de rer. div. Ioan. Plat. in l. un. C. de thesaur. Barthol. Socin. in l. 3. §. Neratius, n. 7. de acquir. poss. Idque etiam ferè voluit Valasc. quest. emphye. 15. n. 8. Barbos. ad d. l. 8. §. si fundum. n. 26. & ex eo Gutierrez de tutel. d. p. 3. cap. 26. n. 6. & dict. quest. 36. n. 7. Ego verò non video cur hîc non debeat obtinere regula, ei qui agit incumbit probatio, & Actore non probante reus absolvitur, vid. §. commodum. & tibi nos. Inst. de interd. Atq; hoc etiam voluit Bursat. tom. 2. conf. 209. n. 12. allegans Ang. Aret. in §. thesauros. Inst. de rer. divis. Menoch. conf. 649. n. 6. Quis tamen omnibus dubij aliquid hæret propriet alterum, quod faciunt, thesauri requisitum, vetustatem temporis, sive immemorabile tempus:

tempus: quam absq; *περὶ τὴν* illa ut jam dominum non habeat, accipiunt: quod jam antè notatum. Ac verendum, ne si quis pertinaciter huic sententiæ insistat, ne cirtatorum quis, hoc jus ex Scholasticâ Magistri interpretatione edoctus, in 1<sup>o</sup> Cro *ἐπινοία* juris æquè ac Calliopius in Lavinio neglectum τὸ *πῆξ* reprehendat, postquam in Prologo Eunuchi Terentiani hæc pueris explicantur:

*Idem Menandri Phasma nunc nuper dedit:*

*Atq; in THESAURO scripsit causam dicere*

*Prius, unde petitur aurum, quare sit suum,*

*Quam ille, qui petit, unde is sit thesaurus sibi:*

*Aut unde in patrium monumentum per venerit.*

UNDE PETITUR eleganter vocat reum, quod pluribus exemplis pulchrè Muretus in notis *ibidem* illustrat. Idem, quod asseruimus, decidit *Rebelstrâ decis. 9. pag. iii.* Circumspectè itaque considerent pecuniosi homines, qui thesauros suos custodia gratiã defodiunt, ne nimia diligentia heredibus suis, quibus prospectum cupiunt, opus suas ereptum eant ipsi: & in eos torqueri possit quod apud Plautum est:

*Qui cavet ne decipiatur, vix cavet cum etiam cavet,*

*Etiã cum cavisse ratus, saepe is cautor captus est.*

Meminissè enim debent si ab alio inveniuntur vel dimidiam partem vel etiam (si fundus alienetur) totum alijs cessurum, nisi fides certa de facta ab ipsis depositione fiat: Adeo res periculosa hæc est, & vel servando agrè servatur pecunia: Matth. de Afflic. ad Const. 59. Sicil. n. 3. Nec, si destituatur alijs versimilitudinibus, adeo patrocinabitur hæc conjectura, quòd quæ in ædibus facta, ab inhabitantibus facta præsumantur: ut docet *Rebelstrâ decis. 9. pag. ii. vers. imò.*

15. Liceat mihi hic annotare unum atq; alterum quod perperam scriptum alicubi mihi à præclaris viris videtur. Adferunt pleriq; qui quæstionem thes. 13. & 14. positam ventilant, auctoritatem Johan. Fabri ad S. thesauros. n. i. l. de ver. div. quasi is quod Sixtinus, Barbos, Gutierrez, alij adstruunt jam olim asseruerit. Ac verò is tum demum illum qui thesaurum esse adfirmat probandi onere juxta l. si arbitet. ff. de probat. fatigat, cum poscit medietatem



in suo fundo ab alio inventi & occupati thesauri: Hoc factum demum reum in exceptione actoris partis sustinentem ad probandum id in quo se fundat teneri; non verò primùm probationibus onerari debere, adfirmat. Atq; hoc idem est quod voluit Petrus Ravennas in *Compendio Juris*, quem in hac materiâ epitomat Christoph. Zobelius *part. 2. diff. lur. civil. & Saxon. diff. 62. conclus. 16.* Casus verò isthic ita legi debet: *Quando quis extraxit pecuniam ex fundo tuo, ubi fuerat abscondita, & tu petis medietatem, dicens esse thesaurum, ille qui extraxit dicat e contra, quod pecunia thesaurus non sit; teneris hoc probare, quod ea sit abscondita ultra hominum memoriam, secundum ea que habentur in l. si arbiter. Illi verò, qui dicit pecuniam esse suam & se eam abscondisse, incumbit onus probandi quod eam pecuniam in alieno reposuerit vel absconderit, & quòd hoc sit intra memoriam hominum.* Et sic ferè & Faber *d. lo. inq;* hunc sensum rectiùs, quàm ab alijs in alium, allegatur à M. Ant. Peregrino *lib. 4. de jure fisci, tit. 2. n. 10.* Addo his ego, & quod modò dixi, repeto. Non utrinq; eodem momento exigi probationes, sed ritu in judicijs recepto: ut scilicet actor primò probet non extare memoriam *juxta alleg. text.* Quòd si ex accitis ad testimoniù immemorialitatis, confet aliud quàm actor intendit, absolvitur reus: Si verò secus; jus probandi id quod in exceptione ait integrum habet. Ultima verba & quòd hoc sit intra memoriam hominum, otiantur: perinde enim est, si sit supra illam. Depravatè Ravennatis illud dictum excusum est, ad quod cum non adverterint novissimi editores, & verò in illis, quæ hauriunt ex hujusmodi libris, sæpè acquiescant Judices inferiores, dignum notâ visum fuit: nec illa differentia inter Fabri casum & alium, ad cujus decisionem allegatur, tacito axe pratervehunda, ne dissimilitudo illorum lateat. Verè Duarenus *ad l. 3 §. 3. ff. de acquir. poss.* *Dissimilitudo & varietas reperitur, quæ varium jus inducit. Sed ea ab omnibus non perspicitur, sed ab attentissimis tantum & exercitatissimis. Adeò verum est quod Plato dixit, sapientiù esse similitudines rerum & dissimilitudines cognoscere.*

16. Quid verò? si aut de vetustâ immemorialiq; depositione, aut de recentiore, pecuniæ tamen pro adespotâ bonâ fide habitæ, & legitimo tempore possessæ, post usucapioni præfixum tempus, documenta inventiantur certum hominem declarantia qui depo-

depo-

deposuerit, qui aut ipse superstitēs sit, aut heredes etiamnam superstitēs reliquerit, usucapumne dicemus thesaurum? Non observavi tactum hoc ab illis quos hac in materia legi. Nec video tamen quā non adfirmare debeam.

17. Cognito quid sit Thesaurus, & quæ requirantur uti sit id quod esse dicitur, videndum, si ex obscuro revertatur, cuius commodo cedat. Ac quandoquidem dominium thesauri non amittitur, etsi quis locum thesauri reconditi memoriā non teneat, *l. peregrē. pr. ff. de acquir. vel am. poss.* heredes etiam, licet ignorent res hereditarias, nihilo minus tamen dominium defuncti continuant. *§. sui autem. 3. Inst. de hered. quæ ab intestato def. l. cum heredes. ff. de acquir. poss. l. heres in omne. ff. de acquir. hered. l. ii. de lib. & posthum.* videbatur, quamdiu heredes superstitēs sunt, etiamsi de depositione pecuniæ ipsis non constet, per naturam tamen rerum & juris regulas fieri non posse, ut deposita pecunia dominum habere designat. At propter nostram ignorantiam, quod si qui sunt domini ignoti sunt, ut loquitur Imp. in *l. un. C. b. 2. inductum* fuit, uti desisse habere dominum putetur, *l. 31. §. 1. de A. R. D.* Non solum ne diutiniæ & immemorales possessiones turbentur, nihilq; possideri possit, quod non subiaceat evictionis periculo; (quod vetustis quidem depositionibus convenit, at solis.) sed ut ne dominia rerum sint in incerto; quod & in recentiores defositiones quadrat. Quod vero aliud absurdum seorsus inde confectarium facit Anton. Clar. Sylv. *lib. sing. de LL. cap. 23. pag. 522.* fore nempe ut plus hominis constitutio in usucapione possit, quam Dei in vetustate, metuo ne ex tali absurdi extinctione aliud subabsurdusculum (sin ita licet) recidivum repullulet.

18. Hic verò mirum, quàm variaverint consuetudines & leges. Antiquissimis temporibus cum apud Coos Jonici adolescentis jactum retis à piscatoribus emissent, extractâ magni ponderis auræ mensa, eaq; tripode, cum neq; Coi neq; Milesij se expedire possent utris adjudicanda esset, Apollo consultus NEUTRIS respondit, sed in tota Græcia sapientissimo: Thaleti ergo data, & tandem cum per aliquot Sapientum hoc sibi non arrogantium manus ambulasset, Apollini Didymæo consecrata fuit. Diog. Laërt. in *Thaleta pag. 19.* & ex eo P. Ærodius rex, judicat.

judicat. lib. 4. c. 1. Chopp. lib. 2. de dom. Franc. cap. 5. n. 9. Petrus  
Greg. Syst. univ. jur. lib. 3. c. 11. n. 2. Simile planè narrat Sueton-  
nius de adolescentibus Romanis Hostia bolum mercatis, inter  
quos & piscatores extracta sporta auri obsuta lis orta fuerit utrius  
esset: sed tacito, quid judicatum fuerit: refert P. Ærod. d. loc.  
Plato XI. de L. L. vix permittit thesauros inveniri: ipseq; qui pa-  
rentum suorum non fuerit, nec reperire optet unquam, nec, si  
reperiat, moveat; nec accipere suadentibus credat: quod non  
oporteat *κινῆν τὰ ἀκίνητα*; quod *εἰς παίδων ἡμεῶν ἔζυμφορα*  
*τὸ θραύειν*; tum quod antiqua lex sit, *ἀ μὴ κατῆθῃ, μὴ ἀνέλθῃ*.  
Si quis fortè in thesaurum incidat, vult Magistratui indicinam  
fieri, Delphos mitti, tripodem consuli, quid de eo fieri oporteat.  
Indicantibus præmium, libero virtutis opinionem; servo liber-  
tatem: celantibus pœnam, libero ignominiam, servo capitis  
supplicium præscribit. Superstitiosè hæc omnia nimis; & for-  
tean etiam quod Theod. Marcilius *ad sepè d. S. thesauros. pag. 231.* ait,  
nimis scholasticè.

19. Multum desciverunt ab hac religione Imperatores &  
Legislatores alij. Tantùm enim abest ut inveniri noluerint, uti  
etiam inventos alij quidem totos, alij magnam partem fisco avi-  
disimè vindicarint. Quidam pro distinctione loci & diversi ge-  
neris inventione privatis vel totos vel dimidios reliquerint.  
Mihî hæc reputanti in mentem venit similitudinis, qua Traja-  
num usum ferunt, cum fiscum hominis lienj similem esse dixit.  
Scilicet ut corpus tanto magis macrescere ajunt, quanto is gran-  
dior evadit: Sic tanto tabescere singulorum loculos magis,  
quanto fiscus distendatur amplius. Prout igitur lienosius fuit  
Reip. systema, fiscus etiam uti aliorum, sic & thesaurorum,  
quum inventi fuerunt, accessu distentus magis fuit ac amplificatus.  
Nec tamen notarim hac nota rempublicam egenam, pres-  
sam, & laborantem. Vide & quæ dicuntur *infra th. 21.*

20. Atq; en syllabum illorum quos notavi avidiusculè in-  
hisse thesauris: I. Constantinus Imp. indistinctè medietatem  
inventi thesauri, si inventor sponte se deferat, fisco adjudicavit:  
integrum verò, si quis occultet, & invenisse prodatur. *l. 1. C. Theod.*  
*de thes.* II. Nicephorus totos ademit: Cedreno teste, quem lau-  
dat

dat Cuiac. 9. obs 37. III. Gothorum Reges perinde integros sibi vindicarunt, Cassiod. 6. var. 8. Petr. Gregor. lib. 3. c. 11. n. 6. Ren. Choppin. de dom. Gall. lib. 2. cap. 5. n. 11. IV. Siculis & Apuliæ Legibus Guil. I. Frid. II. Sicilia Regum, thesaurus eodem pervenit: Constit. Neap. 59. & ibidem Matth. de Afflic. P. Gregor. lib. 3. synt. jur. c. 11. n. 6. quam ideo summæ iniquitatis postularunt Siculi, Summonte lib. 2. hist. Neap. cap. 3. allegatus ab Arnifæo de lurib. Majest. minorib. c. 6. n. 27. V. In Galliâ antiquis temporibus regnante Lud. IX. jam ante 360. annos Regis constitutio omnem aureum thesaurum fisco, argenteum proprietario tribuit: cujus rei decreta sub an. 1259. & 1261. à Senatu Paris. facta extare ait Choppin. de dom. lib. 2. tit. 5. n. 9. P. Gregor. d. cap. 11. n. 6. Connanus ait, quandoquidem res vagantes loci Regulo altam justitiam habenti adjudicentur, inde inductum ut in thesauro idem receptum velint. At rectè hoc improbat: quòd res vagantes les espaues omnino aliud sint à thesauro. Add. Chassan. consuet. Burg. de iustit. §. 1. verb. Esbaues. n. 1. Fr. Raguell. Indice des droicts Royaux, verb. Esbaues. Quod tamen strenuè assertum à Procuratore Regio Ambiano, ibidem narrat Joann. Gall. decis. 293. & ex eo Joan. Papon. recueil d' arrests, liure 13. titre 7. Eò tamen res redijt ut inventus in proprio distribuendus sit inter inventorem & loci dynastam meri imperij potentem; si in alieno, inter hos duos & loci dominum. Papon. decis. loc. ubi Joan. Chenu in addit. allegat Joann. Gall. Chopp. lib. 2. de dom. Fr. tit. 5. n. 11. & 12. Caron au 3. des Responces, chap. 20. VI. Apud Hispanos Lege Regiâ quinta tantum (alij legunt quarta) pars inventori relinquitur, reliqua in fiscum coguntur, lib. 7. tit. 12. lib. 6. Ordinat. Covarr. in relect. c. peccatum. p. 3. §. 2. n. 4. de R. I. in 6. Alia tamen ab his notat Gomez, ad legem Tauri 45. n. 51. VII. In Europæâ Sarmatiâ quam Poloniam vocamus, cum Sbigneus, alter è filijs Vladislai Regis, totum thesaurum sibi vindicaret, nimirum in arce Plofensi, quæ sibi destinata erat anno 1202. inventum: Boleslaus frater natu grandior sibi eundem arrogavit jure Regio. Remisit tamen Boleslaus, alijs se interponentibus, & fratri medium concessit: refert ex Cromero in reb. Polon. Choppin. de dom. Franc. 2. c. 5. n. 11. IIX. Eduardus I. Angliæ Rex statuit thesauros de terrâ, domini Regis esse

esse, nisi in templo vel cœmiterio invenirentur, eoq; casu aurum Regis fore, cum argenti dimidiâ parte, residuâ parte Ecclesiæ attributâ, in leg. Saxon. Lambardi, laudante P. Gregor. *Synt. lib. 3. c. 3. n. 6.* & Renato Choppino de dom. Franc. lib. 2. cap. 5. n. 10. IX. Richardus II. Rex Angliæ vi armatâ persecutus nobilem sibi subditum, quod erutum in loco proprio thesaurum tradere sibi recusaret, Giral. 9. *hist. Fr. in Phil. Aug.* laudante Camer. *medit. hist. 1. cap. 63. pag. 286.* Arnis. de *jurib. Majest. minoribus, cap. 6. n. 27.* Chopp. de dom. Franc. lib. 2. cap. 5. n. 10. Historiam breviter exhibet Andreas du Chesne in *Antiquitatibus Franciæ lib. 1. cap. 141. quod est de Lemovicio*, his verbis: *Chalus, ou l' on tient qu' un Seigneur d' iceluy trouva souz terre l' an 1199. les images d' un Empereur, de sa femme & des ses enfans, assis à une table, le tout de fin or, & que le Roy adverty de ce les voulant avoir contre son gré le fist assieger au Chasteau, ou il fut tué d' un coup de fleche.* Tollendus igitur turpis error typographicus non solum originarius ex Camerarij libris, sed & alter ex eo tradux ex Arnisæo & Caulacum Lemovicum urbs nominanda, & Utopiensis alteri Lemvoici exterminandi. X. Decuriæ exemplorum apicem imponat tandem jus antiquum patrium. Textus Juris Saxonici celebratissimus est Landrecht / lib. 1. artic. 35. Das alle Schätze vnter der Erden begraben / tieffer denn der Pflugt gehet / gehören zu der Königlischen gewalt: id est, habenti merum & mixtum imperium. Ubi quidem adeo verisimile non est auctorem hujus legis de thesauro, perinde ac enumerati Principes alij, sensisse: quod & P. Heig. suboluit, *1. quest. 13. n. 65. & 66.* & expressius adserit in doctissimis suis ad Treutlerum notis Baccovius, *vol. 2. diff. 10. th. 2. lit. G.* Interim siue interpretem siue emendatorem habemus laudatissimæ memoriæ Principem, Patriæ verum Patrem, Sereniss. Electorem Augustum, *Nov. Const. 53. part. 2.* in quâ hæc verba legere est: *Die weil aber vnser Verordente dahin geschloffen / das solche correction der gemeinen Rechte nicht zu geben / bevor weil der Text in den Worren von allen Schätzen so vnter der Erden / etc. nicht von den thesauris reconditis, sondern von dem Bergwerck vnd Erz zu verstehen / ubi Dan. Mollerus in comment. Hæc igitur & tua, laudatissime Princeps, præcipua gloria est, quam Trajano adfficit Phin. in *Paneg. quod victus fuit Jesus: cujus mala nunquam caussa est, nisi sub bono Principe.* Nec minus.*

nus tibi, quàm Tiberio II. similiter adfecto Principi divinâ benignitate repensum fuisse hostimenti in memoria est etiamnum viventium. Jam igitur uno numero Decuriam quam modo feceramus, truncavimus. Quem ut compensemus, addimus esse qui testentur ubiq; consuetudinem nunc esse, ut omnis thesaurus fisco cedat. Sylv. in *summa. verb. inventum. n. 13.* Covarr. in *relect. c. peccatum. p. 3. §. 2. n. 4. de R. l. in VI.* Barbos. ad l. *divortio. §. si fundum. n. 49. ff. sol. matrim.* De quo tamen non dubitamus solum, sed ubiq; id receptum constanter negamus.

21. Gnari igitur & consuetudine & scripto Jure alicubi & aliquando hoc jus receptum fuisse, non immeritò dubitare possumus, an non contra naturalem æquitatem tendat, adeoq; præsumpto Dei placito certum quem beare verisimiliter volentis repugnet? Vapulant quidem hujusmodi sive consuetudines, sive constitutiones Sylvestro, quòd non per vim legis sed violentiæ increbuerint, nunquam moribus utentium approbatæ, in conscientiâ non obligatoriæ, Juri Canonico & æquitati naturali contrariæ sint: Sylvest. in *sum. verb. inventum. n. 13.* sequitur Sotus de *Iustit. quæst. 3. art. 3. referente Molina.* Inde Barbos. ad l. 8. §. *si fundum. n. 27. ff. solut. matrim.* ait, *Injuste videntur LL. constituentes, quòd thesaurus inventus in loco proprio, cedat fisco, & ut juste videantur, oportet eas intelligere in casu, quo arte Magicâ fuerunt inventi, vel in loco publico fiscali: secundum l. un. C. de thesaur.* Idem n. 49. *ibid.* hac notâ liberæ præstari posse negat, nisi detur inventori recompensa. Isernia in *comm. feud. at tit. quæ sint reg. n. 94.* inde conijcit Constitutionis Siculæ de thesauris auctorem Guilelmum, quem præfert, esse Primum, quod is malus fuerit, non Secundum, quod bonus fuerit Rex: Idem etiam Friderico Imp. notam ideo quamdam impingit. Cujusmodi hujus rei iniquitatem sunt & qui inde conjectent, quòd eâ moti Juris Saxonici interpretes textum thes. præced. allegatum de mineris interpretentur, & Illustriss. Elector Augustus novâ Constitutione istam interpretationem ratam habeat: Fratres Carpozovij *disp. solemn. de Regalibus. th. 88.* At verò Covarruvias scitè his Legibus & consuetudinibus patrocinator, & ex eo Molina de l. & l. rr. 2. *disp. 56. in fin.* & Arnisæus de *Jurib. Mag. minorib. cap. 6. in fin.* quòd tantoperè *non violenter,*

tur, cum thesauri ad instar ferè rerum pro derelicto habitatum, nullius sint: Princepsq; hic aliud non faciat, quam quod quæ res futura est communis negativè non affirmativè, in eventum, cum erit, certo domino assignat: Arnis. *dict. loc. cap. 3. n. 4. pag. 529.* Quin & cum fiscus ratione depositæ pecuniæ tributus fraudatus fuerit longo ut plurimum tempore, jure alicujus compensationis ipsi in illam aliquid licet: pulchrè Baccovius ad Treutler. *vol. 2. disp. 20. th. 2. lit. G.* Nec dubitem adserere hunc modum stipendiæ rarium aut fiscum, minùs durum esse, quàm cum ex bonis subditorum jam acquisitis & certis portio ancillæ abraduntur. Quodq; generatim dixit Cassiodorus 9. *var. 3. fisco rectè quoq; quadrat: In sua naturâ honesta sunt lucra, per quæ nemo leditur. Bene queritur, quod de nullius dominio abrogatur.* Possit tamen fortassis non impia cogitatio penetrare quorundam animos, fore, si solâ avaritiâ & libidine impulsî Principes hæc ita sanciant, ut tanto minùs latentium divitiarum in apricum proferatur, ne cupiditatis ipsorum fiant pabelum. Cum & manifesta naturæ beneficia ob accedentem Principum avaritiam exaruisse & olim, historia: & nostris temporibus, experientia fidem faciant. Athenæi testimonium adducere placet unicum, *lib. 3. sub init.* Phylarchus scribit cum antea & nunquam & nusquam Ægyptia faba sereretur, aut sata cresceret, præterquam in Ægypto. Alexandro tamen Pyrrhi filio regnante, prope Thyamin fluvium Thesprotiæ, quæ in Epeiro est, in palude quadam enatam casu fuisse, ac toto biennio post abundè fructus peperisse qui adoleverint: cum verò præsidium Alexander ibi collocasset, quo arcerentur non solum qui decerpere vellent, sed illi etiam qui eo commearent, videndi gratia, exiccatam paludem fuisse, & imposterum non solum ejus fabæ non genuisse plantas, sed nec jam inde aquam in ea fuisse conspectam. Accidit & in Edepso par miraculum. Nam procul à cæteris aquis rivulus mari vicinus gelidam aquam fundens emicuit, cujus potus agris plurimam auxiliabatur, ideo confluentibus illò multis è locis remotioribus, ut aquam biberent. Antigoni verò duces cum res Principis administrare diligentius cuperent, & bibicuros vectigalis nomine pendere quidpiam justissent, evanuit illa scatebra. In Troade cum antea curvis permitteretur salem Traqasæum sufferre gratis, salarium tributum ut Lyfimachus exigi mandavit, illic postea nil salis visum est. Admiratus id Lyfimachus, tributum remisit, cont. nuq; sal rursus extitit. Quid nostris temporibus.

bus in planè similibus contigerit, in recenti viventium est memoria: referri verò nominatim non convenit.

22. Sed enim & illos in aciem producere oportet, qui insuperhabito fisco, inventoribus faverunt. I. Insigne moderationis exemplum in Nervà Imp. habemus. Is, cum Atticus Herodis Sophista pater ei scripisset: *Theaurum*, Imperator, *domi meæ offendi: quid de eo faciendum jubes?* responsum tulit: *utere ijs quæ inventisti.* Cumq; de novo se thesauri magnitudine superari retulisset: *abatre, reposuit, invento lucro, quando tuum est.* Philostrat. lib. 2. in vitâ Herodis. II. Aliud admirandæ in erudo & barbaro homine moderationis & æquitatis annotatum est in Tamerlane Scythâ, orbis flagello. Is, cum per Syriam iter facienti rusticus quidam thesaurum, in quem arando impeggerat, offerret, omnibus, qui circum, dicantibus, Regis illud aurum esse, cum inventi, qui occultantur, thesauri ad fiscum pertineant; iussit monetam inspicere an suam vel majorum suorum imaginem referret: referentibus, qui eam inspexerant, Romanorum Principum imagines esse impressas: *Relinquamus igitur*, inquit, *aratori eam pecuniam quæ mea non fuit, sed quam Deus ad ipsum detulit.* Philipp. Camer. med. hist. cent. 1. cap. 63. pag. 285. Arnis. de jurib. Majest. minor. cap. 6. n. 26. qui auctores suos laudant Cosimo Bartoli disc. 36. Lonicer. lib. 1. hist. Turc. III. Divus Hadrianus & ipse fisco penitus (nisi in fiscalibus & similibus fundis, & cum illicitis artibus quæsitus fuit) excluso, adhibita æquitatis naturalis obrusâ id statuit quod paulo post dicemus. IV. Gratianus, Valentinianus, & Theodosius inventori in proprio fundo totum, in alieno, usq; ad quadrantem domini loci decerpendum, calumniæ fiscalis formidine sequestratâ, largiuntur. l. 2. C. Theod. h. r. Ubi ex verbis non metalli qualitas, suspicio mihi fit, huiusmodi etiam quid Legibus aliquibus Romanis quandoq; sancitum fuisse, quod in Gallia & Anglia receptum fuisse thesi 20. n. 5. & 8. tetigimus. Quin & sequentia non reperti modus videntur mihi explicare id quod Ælius Lampridius scribit in Alexand. Severo, pag. 195. edit. Casaub. *Thesauros repertos ijs qui repererant donavit: & si multi essent, addidit hæc eos quos in suis habebat officijs. Si multi essent Thesauro, accipio de quantitate continua non discreta, hoc est, si magni essent: Hæc, id est, inventoribus, &c.*



Participare itaq; voluit officiales suos de thesauris pinguibus; minores inventoribus reliquit solidos. Hæreo igitur utrùm in præsentem catalogum hunc referre debeam. Obscurus alioquin Francisco Balduino & Gilkenio videtur Lampridius: *ad §. thesauros. n. 21.* V. Justinianus, qui eadem in castra cum D. Hadriano concessit. *§. thesauros. l. de rer. divis.* VI. Idem cum D. Hadriano sancivit etiam Leo sive senior solus, sive ut quædam exemplaria habent, Leo (scil. junior) & Zeno, (scil. Isauricus) *in l. un. C. de thesaur.* VII. Idem alius Leo Basilij filius, cognomento Philosophus *in Nov. 51.* In quâ Novellâ cum omnes tres veteris legis partes, 1. de loco publico, 2. de loco alterius privato, 3. de loco privato proprio signatè proponantur & post confirmantur: miror quid celebri Philosopho *in disput. de respirat. piscium th. 9.* in mentem venerit, ut tam sollicitè quæsierit, cur Leo tertiam præterierit: Magis verò mirum, hoc prætextu excusari quòd idem Imperator alibi *in l. un. C. de thesaur.* reposuerit id, quòd hîc omissum. At scire oportebat alterum Leonem sive ille fuit Senior solus, sive Junior unâ cum Zenone, Constitutionem istam legis unicæ edidisse minimùm semiseculo ante Justiniani imperium, cum Leo Philosophus ipso etiam Justiniano sit junior. IX. Merentur huc quoq; referri posteriores leges Regum Galliæ, de quibus *th. 20. n. 5.* relatum. IX. Numerum claudat, quem fisci hiatus clausisse thesi 20. diximus, Illustriss. Elector Saxoniz Augustus, quo de satis dicto loco.

23. Ut ne igitur in dubio natandum esset in tanta sæpè variatarum legum diversitate, D. Adrianus, Leo, (sive ut alia exemplaria habent, Leo & Zeno) Justinianus & Leo Philosophus præcipuam in hoc præ alijs operam posuerunt, uti certis limitibus jus hac de re includerent: à quorum traditis nec adeò etiam abisse M. Ælium Antoninum & Verum Commodum, celebratissimos illos Divos Fratres, & Imp. Fridericum, inferiùs tangemus.

24. Antequam, quibus horum rescripta thesauros adsignarint, evolvamus, præmittendum est, ab omni participatione exclusisse Leonem eos qui Magicis artibus usi illos effodiunt: *l. unic. C. h. tit.* Ex quib; vetitis artibus non olim solum sed & novissimo seculo cum magnâ sæpè impostura usurpatis, haud raro

raro tragici exitus secuti fuere: uti patet exemplis Ogerii Medici  
 Tholosani, suas & vicinas aedes concutientis; decem Magdebur-  
 gensium, ruina turris oppressorum; duodecim fossorum Annæ-  
 bergensium, à spiritu speciei equi apparente & auram venenatam  
 ex rictu efflante interfectorum; Lugdunensis cujusdam, post Ca-  
 pellani Lutetiæ, ruina muri crus claudum auferentis; Sacerdo-  
 tis Norinbergensis, ruina domus extincti; pragmatici Lugdu-  
 nensis, horribili voce *au larrons*, cum socijs fugati & à Dæmoni-  
 bus insecutis cæsi; civis Basileensis, in crypta Augusto-Rauracensi  
 tanto horrore correpti ut tertio die miserè moreretur; Prioris  
 Margullinæ, in spelunca Regis Salai prope Puteolos miserè in-  
 tereuntis; Græculi cujusdam Macriani, in Paro insula terra ab-  
 sorpti; quæ cum alijs similibus referunt Bodinus in *Dæmonolog.*  
*lib. 3. cap. 3.* Strozzius Cicogna *Magia omnifarie lib. 3. cap. 11.* Chara-  
 cteres & blasphemam biblicorum textuum lectionem ad hujus-  
 modi investigationes adhiberi solitam, notat Wierus de *præstig.*  
*dæm. lib. 4. c. 9.* Stroz. Cicogna *diâ. 10.* Et Paracelsi Thesaurinel-  
 lam, quam nominat Necromantiæ partem, geniumq; Flagum,  
 qui per specula, perspicilla, prunas, virgulam sortilegam, clam  
 habitos thesauros indicet, ex ejus operum tomo X. graviter per-  
 stringit Libav. *initio disputationis de respirat. pisc.* De quibus Flagis  
 alioquin Paracelsus agit *Philosoph. Sagacû lib. 1. pag. 363 operum tomo 2.*  
 At verò de thesauris, deq; Sylphis & Pygmæis illos custodienti-  
 bus, transmutantibus, transportantibus, (quos fortè innuit illos  
*Cobolos, sive Coboldos, virunculos montanos, nanos, tres quadrantes longos,*  
*seneciones specie, Cicogn. sapè allegat. cap. 11. pag. 424. & 435. aut illos*  
*Gaziel, Fegor, & Anarael Georgij Pictor. Isag. de mater. dæm. pag. 15.)*  
 haud pauca anilia tradit & ridicula in *Philosoph. occulta, cap. von dem*  
*Echâgen vnd verborgenem Guth in vnd vnter der Erden.* Ridiculum  
 magis, quòd ideò tanta cum diligentia custodiant thesauros,  
 transmutent, transforment, ut venturo Antichristo, filio perdi-  
 tionis, adservent: quod ex Laur. Anania adfert Cicogn. *ibidem.*  
 Nec desunt Stelliones berillistici nostro tempore, qui hujusmo-  
 di præstigijs per catoptromantiam & crysallomantiam & simi-  
 les imposturas misella plebecula illudant & quandoq; credulos  
 vel omni patrimonio suo exuant.

25. Hunc verò modum sceleratum, puniendum, legibusq; odiosum Leo Imp. vocat, *l. un. C. h. t.* ac eo ipso dum eum excipit à legis novæ istoc indultu, pristino juri relinquit, h. e. inventori eripit & tanquam pœnarium nunc quidem compendium fisco accenset, *d. l. un. & ibi gl. in verb. arte, & ibi Br. arg. l. i. ff. de jur. fise.* Valasc. *de jar. Emphyt. quest. 5. n. 4.* Thom. Lin. *ad §. thesauros. verb. aut religioso. in fi. l. de rer. div.* Joh. Ferrar. *de feud. lib. 5. pag. 142.* Elb. Leon. *l. emend. cap. 11. n. 4. in fi.* Atq; ita quidem textum *d. l. un.* pleriq; maximi nominis JCrorum absq; distinctionis ullius temperamento accipiunt, Alvarot. *de feud. tit. quæ sint regal. n. 7. p. 280.* Rosenth. *Syn. feud. c. 5. conclus. 89.* Vult. *de feud. c. 5. n. 7.* & alij. Guttierrez etiam nominatim hoc addit, etiamsi in suo fundo quis inveniat: *pract. quest. civil. lib. 4. cap. 36. n. 10.* Nos verò pro illa tantum parte, quam si licito modo invenisset, suam facturum erat, atq; ita si in suo, totum fisco; si in privato alieno, nullum fisco, sed domino loci totum, cum Alciato 7 *parerg. 1. adserimus: idq; cum Bocerus c. 3. de regal. n. 180. faciat arg. l. 5. pr. ff. de prob. Novell. 18. c. 5. alioq; arg. l. un. de thesaur. & §. thesauros l. h. t. in super alio arg. l. 22. C. de pen. & tandem adhuc alio d. l. un. C. h. t. vers. quod si nobis.* Acriter verò defendit Garzia causam fisci & in hoc casu: *cap. 22. n. 53. de expens. & meliorat.* Muscatell. etiam in prax. crim. sive in proprio sive in alieno inventus sit magicis artibus thesaurus, hanc facit regulam: *Magica inventio operatur amissionem totius thesauri in beneficium fisci.*

26. Nihil igitur agit hujusmodi quis præstigiator indistinctè, sive in suo sive in alieno thesaurum rimetur. At alij citra hujusmodi veritas artes, sive fortuitò & præter institutum incidant in thesauros, sive etiam data opera in proprijs fundis quæsitos inventiant, adeò oleum & operam non perdunt, ut hi quidem semper totos, illi pro loci diversa qualitate quandoq; totos quandoq; dimidios suos habeant. Divi Adriani rescriptum *Æl. Spartianus* consignavit: **DE THESAUROS ITA CAVIT, UT SI QUIS IN SUO REPERISSET, IPSE POTIRETUR; SI QUIS IN ALIENO, DIMIDIUM DOMINO DARET; SI QUIS IN PUBLICO, CUM FISCO ÆQUALITER PARTIRETUR.** Di-

VIII

vum Adrianum in hoc æquitatem naturalem observasse ait Justinianus, d. §. thesauros. Quæ verò illa æquitas? Respondeat Christoph. Porcus ad d. §. thesauros. his verbis: *Que ita se habet, quòd ex quo in nullius bonis erat, inventori concedatur: §. serv. eod. tit.* Idem dicit Guttierrez 4. quæst. pract. civil. 36. n. 1. Temperamentum tamen (sic vocant Imp. Grat. Valent. & Theodos.) æquitati addendum, ut in alieno repertum partiatur inventor cum domino loci: l. 2. C. Theod. hic. Ex quo perspicuum fit non duplicem hinc faciendum æquitatem naturalem. Unam scilicet modò dictam: alteram quòd omnis fructus & commodum fundi sequatur dominum: cum Hotom. ad d. §. thesauros. Interim non negandum, thesaurum etsi de fructibus non sit, similem quadamtenus illis haberi, ob eamq; causam in partem venire dominum loci, si in alieno inveniatur: & hanc partim esse istius temperamenti additi causam. Ambiguitas insuper vocabuli tollenda est, ne illam naturalem æquitatem quæ ea tantùm quæ ad Justitiam & honestatem pertinent, complectitur & immutabilis est, accipiamus, sed & quæ ad utilitatem spectant, mutationiq; obnoxia sunt: cujusmodi communio rerum & una omnium libertas, Bologn. de Leg. lur. & æquit. cap. 20. n. 4. Unde etiam jura super thesaurorum acquisitione pro re nata, sine magnâ cujusquæ injuriâ, mutari posse ex Covarr. & Arnisæo jam antè thes. 21. monuimus: & constat ex Juris libris & historijs quàm sæpè variaverint: Cujas. 9. obs. 37.

27. Rescripti hujus D. Adriani cùm tria tantùm referat capita Spartianus, credendumnè tot solùm, nec plura fuisse, an fide Justiniani & quartum de loco sacro & religioso addendum? Non dubito Spartianum quæ de hoc rescripto referenda erant, retulisse omnia: Imò, si & tertium omisisset sufficienter tamen relaturum fuisse: cùm, uti quod de sacro & religioso Justinianus addit, sub primo; sic illud de publico sub secundo contineatur. At ne quem de sacro & religioso loco quid turbet, præcognita quædam in parato habere oportet. Sacra & religiosa loca duplicis erant olim generis: Publica alia, alia Privata. Publica sacra loca quomodo facta fuerint Ulpianus tradit, l. 9. pr. & §. 1. ff. de rer. divis. Idq; non solùm si antè locus fuerit publicus, sed & si privatus publicè totus dedicetur & hac ratione nexu dominij

D

exima-

eximatur, obtinere puto, *d. l. 9. §. 1. junct. l. ult. ff. ut in poss. leg. nom. junct. l. 22. & seqq. ff. de contrab. empr.* Si particula ejus publicâ quidem authoritate dedicetur, sed eâdem tanquam privati accessio aliquo modo nexui dominico relinquatur, hunc locum privatam sacrum dixerimus: *l. 9. ff. ad L. lul. pecul.* Quod si non publicè dedicetur sed sacra tantum in eo collocentur, hoc est Lares, Genij, Penates, Di cubiculares in eo constituentur, Sacrarium fit, sive lararium, quod licet publicè sacrum non sit, atq; adeò non perinde omnem nexum dominij exuerit, tamdiu tamen loci religio durat, quandiu sacra inde non evocantur, *d. l. 9. §. 2. de rer. divis.* Utraq; hæc illa puto dici loca sacra quæ etiam nisi speciatim excipiantur, vendito fundo, transeunt ad emptorem, *l. 22. 23. 24. ff. de contrab. empr.* Quod confirmat pulcherrimus Tertulliani locus in *Apologet. cap. 13.* cum Romanis Gentilibus hoc exprobrat: *Domesticos Deos, quos Lares dicunt, domesticâ potestate tractatis, pignerando, venditando, demutando.* Ubi elegans est *Heraldi* nota: *Lares appellabant, non solum domuum genios, uti eos appellabat Ausonius, sed quoslibet Deos domi privatâ religione consecratos, & quos in Larario sæpius adseruabant.* Deos cubiculares appellat *Suetonius* in *Aug. Sane propriæ artis patronum adibus suis quib; statuebat & dedicabat: tabernarinas, Bacchum; leno, Venerem; faber, Vulcanum; pisitor, Cererem; & ita ceteris.* Religiosa loca perinde erant & Publica & Privata. Publica quidem non Principum solum & Cæsarum, sed etiam in quibus privati humabantur. Talia loca fuerunt *Puticula* *Varronis* 4. *de Lat. Ling.* *Extra oppida à puteis Puticula: quod ibi puteis obruebantur homines. Nisi potiùs, ut *Ælius* scribit, puticula, quod puteis ibi cadavera projecta: qui locus publicus ultra Exquilias.* Ecce igitur, non extra portam *Exquilinam* solum *Romæ*, sed & alibi extra oppida loca publica sepulchris plebeculae destinata. Et qui aliter humati fuissent illi, quine cespitem quidem fundi possidebant?

*Hoc misera plebi stabat commune sepulchrum,*

*Pantolabo scurræ, Nomentanoq; nepoti.*

De *Puticulis* vide & *Fest.* in *fragm.* & qui hæc refert, nostrum *Kirchmannum* de *funerib. Roman.* lib. 2. c. 24. Talia fuerunt etiam loca *Culine Aggeni Urbici*, cujus verba *Connan.* 3. *com. 4. n. 2.* refert: *Sunt in suburbani loca publica inopum destinata funeribus, que loca culinas appellans.*

appellant. Quin & in publicè consecratis locis sepulturas fuisse, Arnobius *lib. 6. pag. 22.* gentibus exprobrat. Fuere etiam sepulera publico Senatus decreto in publico loco, veluti campo Martio, concessa: vide Kirchman. *de funerib. Roman. lib. 2. cap. 25.* Religiosa loca privata sunt, quæ cum privatorum dominio alioquin purè tenerentur, per illationem mortui religiosa fiunt, sive hæc sint singularia, sive hereditaria aut familiaria, (vide Kirchm. *lib. 3. c. 13. de funerib. Rom.*) & hæc cum intra privata veluti septa contineantur, semper etiam aliquo jure ad illos illorumve successores pertinent, qui religionem loco intulerunt, *l. 5. l. 10. ff. de relig. & sumpt. fun. l. 3. §. 3. ff. de sepulc. viol. l. 41. de relig. & sumpt. fun.* possunt etiam tanquam accessio quædam cum alijs fundis quibus adhærent vendi, *l. 22. 23. 24. ff. de contrah. empr.* Iuxta hæc & aliud præsciri oportet, ambiguum esse vocem *religiosi*, & quandoq; notare id quod sacrum est. Nam præterquam quod altaria religiosissima vocat Cic. *pro Planc. & de harusp. resp.* testem habemus Festum in *fragm.* cujus hæc est nota: *Religiosum ac sacrum est, ut templa omnia, atq; ædes, quæ etiam sacra dicuntur. At quod per se religiosum est, non utiq; sacrum est, ut sepulchra, quod ea non sacra sed religiosa sunt.* Aldus junior in *quæstis per epist. lib. 1. c. 10.* inde hoc elicere videtur: *Religiosum, si publicam habet religionem, sacrum est: Si privatam, non est.* Quod tamen cum temperamento quodam fortassis capiendum. Quod igitur Iustinianus D. Adrianum in thesauris ex sacro aut religioso loco erutis, statuisse ait, ipse contextus series (quandoquidem versic. *At si quis.* transitum demum facit ad locum alienum) indicat de loco sacro aut religioso privato accipiendum. Quod verò Callistratus *l. 3. §. pen. de jur. fisci,* Divos fratres constituisse refert, id capimus de religioso publico: quod hic de juribus fisci tractetur, quæ ferè in publicis, aut publicandis rebus consistunt: & verò talia esse prædicata oporteat, qualia à subjectis permittuntur, Matth. Steph. in *Dial. Jurid. lib. 2. loc. 37. n. 2. & loc. 46. n. 4.* Locusq; à proprietate termini cedat loco à subjectà materià Schickard. *Logic. Jurid. loc. 1. à subj. mat. special. reg. 3. n. 7. & 14.* Nec adeò abs re erat in religioso publico hoc expressè sancire, ne, quia sæpè sepulera non solum pro unius corpore humano sed & pro liberis posterisq; concedebantur (vide exemplum Servi Sulpitij

apud Cic. IX. Philip.) posteri prætenderent verisimile esse ab uno  
ex majoribus in seros ipsorum usus hujusmodi quid reconditum  
fuisse. Rectè igitur publico puro, publicus religiosus adijcitur.  
Atq; hoc quidem olim tetigit Alciat. 7. *parerg.* 1. in fin. secuti fuere  
& constantius asseruerunt Connan. 3. *Comment.* 3. c. 4. n. 2. We-  
senb. ad §. *thesauros.* lit. e. Choppin. de dom. Fr. lib. 2. c. 5. n. 12. Frid.  
Balduin. Claud. Cantiunc. Gilkenius, ad d. §. *thesauros.* Charond. 1.  
*veris.* 21. Rob. 1. *recept. lect.* 5. Hillig. *Don. enucl.* 4. c. 14. in fin. not. Matth.  
Schickard. *Logic. lurid.* loc. 1. à *subject. mat.* in *generalib.* n. 13. p. 187. ubi  
nobiscum ex *subjectâ* *materiâ* hoc explicat. Accedit aliquantillum no-  
bis Barbof. nempe cum inventori in loco, in quo habet jus se-  
pulchri, inventum tribuit: Sed in hoc abit, quòd inventum in  
loco, in quo alius jus sepulchri habet, dimidium tanquam rem  
vacantem fisco transferbit: ad l. 8. §. *si fundum.* n. 43. At si illic  
tantum adhuc de domini effectum reliquum, non videmus cur  
non & hic sit, & ille alter potius, qui jus sepulchri habet, medie-  
tatem suam faciat. Suppetit & alterum *ἁγιος Φύρετον*, quod in  
ambiguitate vocabuli religiosus: nempe non sepulturam solùm,  
sed & sacrum locum eo notari. Undè non ineptè hic per reli-  
giosum, & sacrum & religiosum innui quis dixerit, vide *quæ antè*  
*dict.* 1. aut potius per religiosum, sacrum; per monumentum, re-  
ligiosum locum accipi: quod voluit Theod. Marcil. in *eruditâ* *notiâ*  
ad *Inst. d.* §. *thesauros.* pag. 231. nec verisimile est Imp. aliud in uno  
voluisse statuere, aliud vero in altero: ceu opinatur Barbof. n. 43.  
*prop. fin.* Sæpè verò in sepulchris thesauros fuisse melioris securi-  
tatis ergo custoditos notarunt viri docti, & inter illos post Donat.  
ad *prolog.* Terent. in *Eunuch.* Forner. lib. 3. *rerum quotid.* cap. 18. Dem-  
psterus *paralipom.* ad *Rosini Antiqu.* Rom. lib. 7. cap. 31. pag. 561. Pareus  
in *Elect.* Plaut. ut lepidus planè sit jocus in senem, Pseudoli apud  
Plaut. *act.* 1. *Scen.* 4.

Ex hoc sepulcro vetere viginti minas

Effodiam hodie, quas dem herili filio.

Sæpè etiam pecuniæ cum mortuis sepulcræ. Quod non Lycurgus  
solùm olim prohibuit, teste Plutarcho, sed & mandatis principum  
venitum fuit, l. 4 §. *pen. ff. ad leg. Jul. pecul.* extatq; eam in rem Arthala-  
rici Regis edictum apud Calsiod. lib. 4. *var. epist.* 34. & graviter hoc

notat

nōtat Joan. Chrysoft. *rom. 2. homil. 84. ex cap. Iohan. 10.* ut quidem lae-  
 dat eum & refert Herm. Bodius in *Unione disfid. sic. de impensâ fune-*  
*rib.* Nec igitur confugiendum I. ad distinctionem inter aequi-  
 tatem naturalem & civilem, cum gloss. & Viglio, quem alleg.  
 Schick. *Log. Iurid. pag. 186.* (metuendum ne talis subintelligatur,  
 qualis subfuit divisioni vulpeculæ apud Æsopum: nempè cum  
 potentior prævalet.) II. Neq; inter fortuito & datâ operâ in-  
 ventum distinguendum, cum gl. in l. 3. §. pen. verb. *vindicaretur. ff.*  
*de jur. fisco.* III. Nec mutanda lectio recepta in §. *thesauros.* cum  
 Fornerio 2. *select. 26.* contextusq; nervi convellendi. Ex quâ ta-  
 men mutatione minimè resultabat, quod notat magnus Jctus, ut  
*de ac. rō.*, abeat in *de ac. rō.* IV. Neq; negatio in d. l. 3. §. pen. in-  
 vehenda cum Zoaneto *restitut. lib. sing. cap. 27.* quem notat Robert.  
*1. recept. lect. 5.* Nec cum Duar. *ad tit. de acquir. rer. dom. cap. 4.* &  
 Dōnel. 4. *com. 14.* utramq; relata, neutram approbatam, atq;  
 ita relinqui ambas pristinis viribus, & per consequens D. Adriani  
 placitum à D. D. Fratrum constitutione absorptum putandum.  
 VI. Nec cum Cujacio 9. *obs. 37.* & in not. *ad §. thesauros.* agnosce-  
 diversorum juriū dissonantia, & à Divis fratribus recessum,  
 in D. Adriani placitum itum dicendum. Quod & Aret. Baro-  
 nem, Covarruv. Borcholdum voluisse refert Bocerus. Idemque  
 vult Peregr. *de jur. fisco. lib. 4. tit. 2. n. 7.* & Garf. *cap. 22. n. 56. de expens.*  
 dum correctione potiùs, quàm aliâ explicatione, hæc loca concilianda  
 automat. VII. Neq; ex adversum his cum Bocero *cap. 3.*  
*de regal. n. 178 pag. 381.* dicendum per Digesta Institutionibus de-  
 rogatum, atq; ita D. Adriani legem, quæ quidem tempore pro-  
 mulgatarum Institutionum Justiniano arriserit, tempore Pan-  
 dectarum promulgatarum rejectam, Divorum fratrum approba-  
 tam. Præterquam enim quod durum est impingere Triboniano,  
 quo Bugnyoni *traité des loix abrogées libr. 2. chap. 162. pag. 219.* & Zuin-  
 gero *theatr. vit. hum.* notatur:

*Quas fixit leges; pretio precibusq; redemptus,*

*Tribonianus, eas pretio precibusq; refixit:*

nequaquam verisimile est, Divorum Fratrum sententiam in Di-  
 gestorum compilatione semel probatam, in compositione &  
 promulgatione Institutionum infecurâ (*proam. Inst.*) rejectam,



denuo in Pandectarum promulgatione nondum menstruo spacio post factâ reassumptam fuisse Quod si desultoria huiusmodi levitas & inconstantia fortè ex trivio homines quandoq; agit præcipites, in Principe certè non præsumenda.

27. Quid verò dicendum quòd Interpretes Ecclesiæ, tanquam domino, non Principi aut fisco thesaurum aut totum aut dimidium in loco sacro aut religioso inventum adscribunt? Sic quidem Alvarottus *ad consuet. feud. tit. quæ sint regal. n. 7. pag. 280.* quem sequuntur Thom. Lin. *ad § thesauros. l. de rer. divis. verb. religioso. in fin.* Schneidvv. *ibidem n. 9.* Peregr. *de jure fisc. c. 2. n. 7.* Chassan. *ad consuet. Burg. de iustit. §. 1. verb. espaves. n. 42.* Gilken. *ad d. § thesauros. n. 27.* Bocerus, nisi à clerico inveniatur, contrà. Quòd nullibi expressè hoc jure Canonico mutatum sit: *tract. de regal. c. 3. n. 179.* Idq; *arg. l. pen. vers. neq; enim. ff. de reb. cred.* At rectè tenuisse interpretes puto. Inprimis quia Jure Canonico potestas faciendi locum etiam religiosum singulis adempta fuit & Episcopis solùm concessa, perq; horum consecrationem, benedictionem & *ewesmytzen* polyandria, cœmiteria, dormitoria & sepulchreta, non solùm religiosa sed & sacra effecta: quod ex Ivone Carnoteosi *epist. 229.* & Gregor. Turon. *de glor. confess. c. 106.* testatur Joan. Steph. Durant. *de ritib. eccles. lib. 1. c. 23. n. 9. pag. 144. vid. c. nemo. de consecr. dist. 1. c. adhuc. de relig. dom.* Matth. Steph. Oecon. *iur. Canon. cap. 3. n. 22. & lib. 2. Instit. iur. Can. c. 5. n. 2.* Postquam igitur hæc loca sacra facta sunt, & Ecclesiæ etiam repurgatæ non solùm ex patrimonio suo non sacro, sed & ex semetipsis & locis coherentibus æquè consecratis, redditus suos percipiunt; suis etiam ipsis est fisco der Kirchenkasten; sui ipsis sunt curatores (Oeconomos vocare possis, *l. ult. l. 14 C. de SS. Eccl. l. 42. §. 5. de episc. & Cler. Matth. Steph. 1. Inst. Can. c. 7. n. 21.* ubi ait cedere hîc leges Imperatorum legi DEI: Petr. Greg. *Synagm. Canon. lib. 2. tit. 9. c. 5. n. v. & ibi annotat. lit. R.*) qui hodie die Altermänner / Altermente / Gottesväter / audiunt: fisco etiam Ecclesiæ thesaurum diversimodè tamen pro diverso inventionis modo tribuere convenit. Quid? quod negari nequit loca sacra esse Deo dicata ac ita DEI. Cur igitur, si cum Dominus noster JESUS CHRISTUS heres scriptus fuit, pia Antiquitas SS. Ecclesijs relictum concessit, ad hoc

hoc ut ad pauperum alimoniam ( adde, in necessarias reparatio-  
nes ) non otiosorum ventrium saginam, conferrent, *l. ult. de SS.  
Eccles. Salvian. lib. 4. de gubernat. DEI*, Cur, inquam, ubi eadem  
ratio, idem jus esse inficiabimur? Rectè itaq; sensisse eos dicen-  
dum, qui adserunt jus de thesauris, qui in locis religiosis inve-  
niuntur, totum hodie immutatum esse. *Artis. de jurib. majest. mino-  
rib. cap. 6. n. 29. pag. 605. Farin. prax. crim. pag. 3. var. quest. 104. n. 12.*  
Graviter hanc in rem Choppinus: *Evangelicæ Pietatis verecundia &  
castitas nullum denuò patitur quaestuarium usum profanæ in sacra loca jurisdi-  
ctionis Dominicæ. at honorarias modò in Delubris sedes ac prerogativas. Unde  
nec immeritò sancta Ecclesia subit vices Domini Fiscalis, seu luridici, ut penes  
eam maneat Thesauri portio dimidia, tantundem penes reperiorem: lib. 2. de  
dom. Franc. c. 5. n. 12.*

28. Quod si igitur in loco suo reconditum thesaurum quis  
inveniat nullis usus incantamentis, totum suum semper & in-  
distinctè etiam facit: §. *thesauros. l. de rer. divis. l. 21. §. 1. ff. de acquir.  
rer. dom. l. un. C. de thes.* Prosp. *Farin. prax. crim. pag. 3. var. quest. 104.  
n. 1.* quam opinionem communem testimonio multorum probat  
idem *ibid.* Si in alieno, tunc mediam tantum partem sibi acqui-  
rit, mediam domino loci. At quæ hujus partitionis causa? Nem-  
pè videtur justa & æqua hic subesse proportio. Donum fortunæ  
thesaurus nuncupatur. *l. 63. §. 1. de acquir. rer. dom.* Choppin. *de  
dom. Franc. lib. 2. c. 5. n. 9.* quomodo & Tamerlanes illum habuit,  
suprà *th. 21. n. 2.* Elbert. *Leonin. 1. emend. cap. 11. n. 3.* at fortunæ  
Dux DEUS, Bald. *ex Sen. in l. ult. in 1. noe. C. comm. de legat.* Imò  
Dei beneficium vocatur, *l. un. C. h. t. Hern. ad tit. quæ sint reg. n. 94.  
Barbos. n. 41. Gutierrez d. q. 36. n. 2.* suadente numine reperitur,  
*l. fin. C. Theod. h. t.* Abest cupiditas aliena eripiendi, remq; in-  
publicum commerciorum usum proficuum inventor præstat,  
quòd usibus humanis ademptam & veluti in vincula & carceres  
compactam pecuniam postliminiò redonat. Nec igitur quod  
cecu fato quodam ipsi destinatum credi par est *Ugerson;* ipsi eri-  
pere æquum erat. At verò cum veluti ex obscuris tenebris scin-  
tillent quædam sive præsumptiones sive suspensiones ab uno ex  
majoribus potius domini, quàm ab extraneo quovis, thesaurum  
istic repositum ( arg. *l. ii. ff. de peric. & commod. rei vend. l. 3. §. 1. de  
offic.*

offic. praefect. vig.) prætereaq; et si non fructus sit, arctius tamen fundo hæreat quàm insidentes volucres aut feræ, & similitudine aliquantilla ad fructus accedat, ac insuper ipsi domino, nisi præoccupatum esset, in futurum similis fortuna obtingere potuisset: ipsi etiam ut inde portio aliqua assignaretur par erat, quod ferè & voluit *Nebelstrã decis. 9. p. 209.* Hoc scilicet cùm fortuita est inventio. At cùm ex instituto thesaurus in alieno quæritur, quicquid invenitur in scio domino, totum ipsius sit inventore excluso, *l. un. C. h. t. §. thesaurus. Inst. de rer. div.* Cur ita? Cessat enim prima ratio pro fortuito inventore adducta; alienis inhiatur, quæ cupiditas constringenda, *l. 2. C. Theob. h. t.* injuriâ tandem hæc in suo quærendi commoditas interverti videtur domino loci, cui perinde ut inventori indicinæ & suspensiones latentis in præsens gazæ, in futurum suboriri poterant. *Wesemb. ad §. thesauros. lit. H. vid. Don. 4. com. 14. pag. 256.* Quid verò si permittat dominus loci? Hic verò multos abripuit in stuporem lex *un. C. h. t.* dum mirari satis nequiverunt, quare non liceat domino loci, quærendi thesauri facultatem in fundo suo concedere? Quoquò enim severtant qui effugia quærent (quos vide apud *Valasc. quest. 5. de jur. emphyt. n. 7. Barbof. ad l. 8. §. si fundum. n. 39. & seqq. ff. solut. matrim. & Gutierrez Pract. quest. lib. 4. quest. 36. n. 41. 42. 43. 44. & 45. Farin. var. quest. 104. n. 4.* nam omnes huc transcribere nil attinet) non tamen elabuntur: veriusq; est, quod *Navarrum* voluisse in *manual. c. 17. n. 175.* refert *Molina de l. & l. 11. 2. disp. 56. n. 3.* totum fieri, volente Domino loci, inventoris, & stat, quod *Sylvestre* ait in *summa verb. inventum. n. 14. in fin.* his verbis: *Quia etiam de bursâ potuit dominus tradidisse thesaurum. Add. l. sed etsi. 13. §. consultis. de petit. hereditat. l. in re. C. mandati.* Testatur *Cujacius* legi in quibusdam Codicibus *invitis, id est non volentibus*: quod & ipse & *Gothofredus* approbant, & in idem recidit cum emendatione *Jac. Concennatij quest. lib. 4. c. 9. n. 45.* (qui alioqui sensum etiam nullum subesse dicit) & nullam video sufficientem rationem cur secus sentire debeamus. Nam quod tautologum Imperatorem sic futurum infert *Hillig. Donell. enucl. 4. cap. 14. in not. lit. D.* retundit, quod *invitus* & ille potest accipi qui expressè dissentit & repugnat, & ille qui non quidem expressè repugnat, sed

sed neq; consentit, quod pertinet & inscius: Cujac *ad d. l. un. C. h. t. Ut*, non secus ac pro volente habetur qui sciens non contradicit; invitus hic fit & ille qui, cum nescius sit, contradicere non poterit, *arg. l. 1. § 3. ff. de tribut.* Minimè verò hunc qui volente fundi domino thesauri effossioni operam dedit, puniendum insuper censemus; multoq; insuper minus si thesaurum, rem commercii utibilem, invenerit: Secus ac vulgo Dd. quos allegat Farin. *de quæst. 104. n. 5.*

30. Locus alienus capi debet non solum alterius privati, sed & publicus sive sit universitatis, sive fisci sive civitatis: §. *thesauros. l. h. t. l. 3. §. pen. ff. de jur. fisci.* In Cæsaris loco, Cæsaris patrimonio non fisco acquiritur. *d. §. thesauros.* Nisi fisco interpretaris privatum Cæsaris gazophylacium, Boc. *de regalib. c. 3. n. 177.* aut saltem dicas in latiori significatu tantum significare posse, quantum etymon significationis ipsi conciliat: quod sumunt ab *hio* & *hisco*; quod prius fuerit *hiscina*, id quod nunc dicimus *fiscina*: Becm. *Orig. Lat. ling.* Quo significatu & Juvenalis dixit, *aratâ multus in arcâ Fijus. Sat. 14.* Eodem Cic. *1. in Verr.* dixit *complures fiscos cum pecuniâ Siciliensi*: *Ibid. lib. 20. etym.* Aut tandem nisi ideo fisco cedere dicas, quia ut plurimum publicorum & privatorum adeoq; diversorum reddituum aut eandem solent habere administrationem, aut saltem in eandem massam eos cogere Principes: id quod alicubi in quæstione de redditibus bonorum hereditariorum & Episcopatus inter magnorum Principum deputatos ventilatum. Quis coloribus defendi potest, quod *l. 3. §. pen. de jure fisci*, dicitur, *si in Cæsari possessione repertus fuerit, dimidiam partem fisco vindicari.*

31. Nec videatur cui mirum de datâ operâ inventis thesauris tot fieri verba, ob id quod *in l. 63. §. 3. de acquir. rer. dom.* Tryphoninus adserit, ineptum dictu, servorum operâ thesauros quæri: præterea, quod si est pecunia incognita & cujus memoria non extet, vix quenquam tam stolidum fore credibile sit, ut thesauris investigandis ex proposito operam velit impendere. At hypotyposis *in d. l. 63. §. 3.* semet explicat ipsa. Et possunt loca hujus rei famâ esse suspecta, *l. 2. inf. C. Theod. h. t.* potestq; ex conjecturis verisimilitudo quandoq; homines latentis & ignoti thesauri inceslere: puta crebræ antiquorum numismatum in urbium

E

bium

bium aut arcium solo æquatarum, veluti Augustæ Rauracorum,  
 Eduæ antiquæ sive Augustoduni, (vid. Merul. *Cosmogr.* p. 609. & 610.)  
 & similibus areis, effossiones. Sæpè etiam romusculi ab anicu-  
 lis aut otiosis & ad medium Janum stantibus orti & per tradu-  
 cem ad posteros transmissi, eundo vires & auctoritatem tantam  
 acquirunt, ut vel cordatis viris imponant. Ut præteream cele-  
 bratissimum Neronis, ut Carthagini Didonis opes investigaret  
 Cefellij Bassi origine Pœni persuasum inducti exemplum: Tacit.  
*Annal. 16. sub initium. Camer. med. hist. cent. 1. c. 63. p. 286.* firmat nos insi-  
 gne hoc recens, quod primores qui urbis Lugduni cives aliquot  
 millibus librarum collatis totam aream ruderum palatij Claudij  
 paucis abhinc annis perfodi curarunt; irritâ spe, & repositos  
 quidem isthic thesauros credito, sed à spiritibus transmutati &  
 transferri ut servent Antichristo venturo, ceu ex ore sacrificuli  
 in vicinâ ædiculâ Fori veteris hausimus. Perinde persuasus fuit  
 civis ille Nemausensis qui nuper residuam turris magnæ ad anti-  
 qua Nemausi mœnia molem serio sed frustra studio perqui-  
 sivit. Quin & in profundo perennisq; aquæ puteo Pictavij,  
 cum prælongis perticis fundum scrutatus esset civis, & qua-  
 dratum quid cistæ simile in imo jacere deprehendisset, aliquoties,  
 semel videntib. nobis depletionē (dubium propter copiosè scatu-  
 rientes aquas an prospero tandem eventu) tentavit. Guilielm.  
 Cambdenus in *descrip. Britannia cap. de Orradinis* refert, Curia Orra-  
 tinorum inter antiqui operis rudera à Rege Joanne quæsitum  
 (sed & hoc irritò conatu) antiquum, quem defossum isthic puta-  
 bant, thesaurum. Fuerunt quos cippo inscripta vox VERTE  
 ad suspicandum de thesauro adegit; in everli verò cippi tergo  
 comparuit, M. . . . . AB ANTIQUO NEQUAM. Sci-  
 licet & hîc verum est, quod ait Cæs. lib. 2. & 3. de bell. civili: LI-  
 BENTER HOMINES ID QUOD VOLUNT  
 CREDUNT. Felicitor Æsopi de inscriptione cippi divinatio,  
 quam quontam semel habenas nobis laxavimus, ex ejus vitâ  
 referre placet: *At post dies rursus aliquot Xanthus sequente Æsopo ad  
 monumenta accessit. Et quæ in arcu erant epigrammata legens se ipsum de-  
 lectabat. At Æsopo in quadam ex ipsis insculptas literas has vidente, α β δ  
 ο ε θ χ, ostendentēq; Xantho, atq; rogante an hæc novisset: diligenter ille  
 scrutatus*

ferulatus, non potius fuit harum invenire declarationem, ac fassus est dubitare  
 omnino. Tum Æsopus, si per hanc columulam o here thesaurum ostendam  
 tibi, qua re me remunerabu? Et is, confide, accipies enim libertatem tuam,  
 atq; dimidium auri. Tunc Æsopus distans à cippo passus quatuor, & fodiens  
 accepit thesaurum & tulit hero, dicens, Da mihi promissum cuius causa inve-  
 nisti thesaurum: & Xanthus, Non si & ego sapiam, nisi & sensum lætarum  
 mihi dixeris: nam scire hoc malò re inventa mihi pretiosius & Æsopus, Qui  
 thesaurum infodit hic, ut vir sapiens, literas insculpsit has, quæ & inquit:  
 α ἀποβὰς, β ἐήματα, δ πῶσαρα, ο ὀρύξας, ε ἔρητοι, θ ἡσυχῶν,  
 χ χρυσίς. hoc est, Recedens passus quatuor, fodiens, inventes the-  
 saurum auri. Et Xanthus, Quia ita solers es & astutus, non accipies tuam  
 libertatem. Et Æsopus, Renunciabo dandum aurum o domine, Regi Byzan-  
 tinorum: illi enim reconditum est. Et Xanthus, unde hoc nosti? Et ille, Ex  
 literis: hoc enim inquit, α ἀπόδῶ, β βασιλεῖ, δ διονυσίῳ, ο ἐν,  
 ε ἔργε, θ ἡσυχῶν, χ χρυσίς, h. e. Redde Regi Dionysio quem  
 invenisti thesaurum auri. Et Xanthus audiens Regis esse thesaurum, Æ-  
 sopo ait, Accepto dimidio lucri taceo. Et ille, Non tu mihi hoc præbes sed qui  
 aurum hoc infodit: ac quemadmodum, audi: hoc enim diunt literæ,  
 α ἀνελόμφοι, β βαδίσσατες, δ διέλεσθε, ο ἐν, ε ἔργε, θ ἡσυχῶν,  
 χ χρυσίς, h. e. Acceptum videntes dividite quem invenistis the-  
 saurum auri. Et Xanthus, veni, inquit, in domum, ut & thesaurum divi-  
 damus & tu libertatem accipias. Felicior etiam (modò fides historiarum  
 constat, vid Camer. 2. cent. medit. hist. cap. 73. pag. 290.) Robertus  
 Guiscardus, Apulia & Calabria Princeps, cum ubi caput statuarum  
 marmorearum antiquarum CALENDIS MAII, ORIENTE  
 SOLE AUREUM CAPUT HABEBO, inscriptarum um-  
 bram suam istà die proijceret, terram fodere à Saraceno iustus  
 immeasum thesaurum isthic invenit. Camer. med. hist. lib. 1. c. 63.  
 pag. 287. Renat. Choppin. de dom. Franc. lib. 2. c. 5. n. 11. pag. 254. Fe-  
 licior & Guntranus rex Burgundiæ, de quo hæc ex Vincent. in spec.  
 hist. lib. 23. c. 2. & Sigeb. ad ann. 585. Joan. Fajus manip. exemplorum  
 verb. thesaurus. pag. 591. refert: Anno Imperatoris Mauritiij secundo Gun-  
 tranus Francorum Rex in venando fessus, dum in gremio armigeri sui dormi-  
 ret juxta rivum aquæ, vidit armiger ex ore ejus parvum animal exire, cui vo-  
 lenti trans rivum transire, nec valenti, armiger ejus gladio trans rivum posito,

viam Secundi & redeundi paravit: quo iterum in ejus os intrante Rex expro-  
factus est, & dixit se per somnium, per pontem ferreum transisse; & sub quo-  
dam monte multos thesauros vidisse: Quo cum Rex perrexisset, secundum si-  
dem somnij, multos thesauros invenit, & Ecclesie usibus delegavit. Idem  
& Aimonius de reb. gestu Francorum narrat.

32. Quod si mercenarius conductus ad fodiendum in no-  
stro, in thesaurum incidat, quæritur an is tanquam fortuitus in  
alieno inventor medium sibi, an verò nos tanquam per illum in  
nostro inventientes ipsi totum nostrum faciamus? Neq; hic re-  
gulam, dimidium inventori semper relinqui, l. 63. in ff. de acquir.  
rer. dom. officium suum perdere puto: l. un. in verb. vel arando, vel  
alias terram alienam colendo. C. h. t. Si scilicet alij rei opera sit in-  
sumpta, & aliud fortuna dederit: d. l. 63. §. 1. quod expressissimis  
verbis adserit glossator juris Saxonici Landrecht/ lib. 1. art. 36. Nec  
verò video quomodo alioquin, nisi rarissimè, unquam non  
datâ operâ in alieno inveniri possit, ut tam exquisitè inculcare  
id abs re planè fuerit: arg. l. 3. & seqq. ff. de L. L. gl. ad §. thesauros. verb.  
suo. ibid. Joan. Fabr. n. 4. Plat. ad l. un. n. 3. vers. & imò mercenarius.  
C. h. t. Connan. lib. 3. com. cap. 4. n. 5. Diss. Angel. Aretio. ad Inst.  
§. thesauros. Inst. h. t. uti quidem illum secuti laudant P. Greg. lib. 3.  
Synr. c. 11. n. 5. Bursat consil. 209. n. 3. in f.

33. Postquam itaq; constat unumquemq; in re suâ inventum  
thesaurum totum suum facere, nec dubitandum est emptorem  
si è fundo recens empto thesaurum eruat, illum (nisi speciatim  
de thesauro exceptum sit: tunc enim rectè ex conventionem le-  
gem accipit contractus, l. 1. §. si convenit. ff. de pos. l. fern. ad tit. que sine  
regal. n. 91.) sibi acquirere: l. à tutore. & ibi Dd. ff. de R. V. §. thesauros.  
L. de rer. div. l. un. C. h. t. Fitq; hoc non in vim contractus, sed in  
vim juris hoc volentis & exigentis. Zas. in l. 3. §. Neratius. n. 15. ff. de  
acquir. vel amit. poss. non quia emit, sed quia invenit: Connan.  
3. com. 4. Sylvest. in sum. verb. inventum. n. 14. non quod procedat à  
jure quod venditor transtulit, quàm novo fortunæ beneficio:  
Barbol. ad l. 8. §. si fundam. n. 31. ff. solut. matrim. Elb. Leonin. lib. 1.  
emend. cap. 11. n. 2. non ut portionem aut incrementum fundi:  
sed rem extrinsecus accedentem quæq; nihil commune habeat  
cum fundo. l. 3. §. Neratius. ff. de acquir. poss. Chopp. de dom. Franc. lib. 2.

6. 5. n. 93.

6. §. n. 9. Bocer. d. c. 3. n. 185. aut potius quæ quamdiu latebat, in  
nullius bonis erat, (velutiq; in suâ naturali libertate, Connac.  
3. com. 4. pr. & ex eo Barbof. n. 34. Guttierrez var. quæst. civil. 36.  
n. 31. in f.) jam verò effossa loco novi cujusdam primumq; nascen-  
tis emolumentum habetur: Barbof. d. lo. Burl. tom. 2. conf. 209. n. 22.  
Guttierrez pract. quæst. civil. lib. 4. s. 36. n. 14. Bursat. tom. 2. conf. 209.  
Menoch conf. 649. In quo si emptor, ignorans thesauri, fundum  
emerit, omnes consentire ait Barbof. d. l. n. 31. in f. Sic cum in  
Thuringiâ emptor in domo à sartore 100. florenis empta toti-  
dem millium thesaurum; cum ibidem studiosus in libri à seruto-  
rum venditrice empti vetusto operimento nummorum aureo-  
rum numerum; (refert Arum. ad l. 2. C. de res. vendit. diff. 3. them. 19.)  
eum etiam in nobilissimâ superioris Germaniæ urbe Imperiali  
miles in attritarum diuq; venum habitatum braccarum, ad Hel-  
veticum morem consutarum, sphaeridio, adstante adhuc mulier-  
culâ venditrice, mox isto globulo seu pilâ, ut reijculâ, præscissâ,  
aliquot aureos Ungaricos reperisset: in contradictorio judicio  
emptores rectè obtinuerunt. Ac de primo quidem eoque nobi-  
liore casu elegantissimam Doctoris olim nostri Dom. Arumai  
decisionem legere est, quæ non immerito suo omnium ab illo  
editarum est ducaria & prima. Quod verò Philostratus lib. 2. de  
vit. Apollonij, Apollonium Thyaneum refert Phraoti Indorum Regi  
consultuisse inquirendum penitus in mores & emptoris & ven-  
ditoris, uti qui eos probatioribus haberet, illi addiceretur, in eo re-  
ctè notatur ab Euseb. Cæsariensi in libro quem in Hieroclem scripsit  
pag. 449. editionis Morellianæ. Nec adeò laxandæ habentæ arbitrio  
judicantiam. Et ferè ex hujusmodi fundamento (si historia est  
non apologus) quisquis fuit ille magistratus Pontificius, quem  
refert Val. Herbergerus in Postillâ Cardiacâ conc. festi D. Nicolai pag. 191.  
pauperi homini auferem quem Judæus vicino ipsius præditivi &  
sui plusquam D. Nicolai, æstimanti factum aureis Ungaricis do-  
no miserat, quemq; istanquam rem non sui stomachi pauperi  
porrò tubercinandum projecerat, sententiâ unâ cum thesauro  
quamquam non thesauro, adjudicavit. Equè verò religionum  
plenos inventores vix invenias his seculis, uti fuere quos narrat  
Chrysofom. homil. 33. ad pop. Antioch. & homil. 41. in act. apost. lau-  
dante



dante Rittershusio honoratissima nobis memoria viro, ad §. thesauros l. de rer. divis. cum emptor in fundo empto inventum venditori; hic verò illi obtrusum voluere thesaurum. Arbitros facilius offendas, qui uti iste ab illis assumptus, sibi controversam gazam attribuant.

34. Quòd si verò indagine aliquà reperiri possit hujus pecunia reconditor, thesaurorum jure censei illam minimè, sed ad illum illiusve heredes reverti debet: d. l. à tutore. de R. V. l. 15. pr. ff. ad exhib. Farinac. var. quest. 104. n. 20 lib. 3. prax. trinin. ubi plures allegat. Rationem juris ex l. id quod nostram ff. de R. l. haurire est, ut facit Schneidvv. ad §. thesauros. l. de rer. div. n. 4. & ex l. 55. ff. de oblig. & act. Et casus hujusmodi sæpè contingere ait Ravenn. in compendio juris civilis, epitomatus à Zobel. pag. 2. diff. lur. Civ. & Saxon. Nobilissimum & à magnis J. C. is celebratum exemplum Cumanus & ex eo Jason. refert in l. 3. §. Neratius. de acquir. poss. de mercatore Genuensi (mercatores Lydia Senensis nuncupat. Duar. ad d. §. Neratius.) ex Hispanià reverso. Duareni verbis est: Quidam mercator ex Hispanià reversus attulit certam quantitatem cere, intra eam ceram inclusa erant 4000. ducatorum. Hic mercator decessit, relicto filio, qui totius rei ignarus erat. Filius imprudens vendidit illam ceram aliì mercatori. Emptor possedit per triennium: tum vendidit cuidam pharmacopole, &c. Aliud non ignobile accidit in Hasià cum in demolitione ædium recens emptarum operarij invenissent hippoperam aureis gravidam, ædes verò vix à 30. annis exstructæ fuissent, venditorisq; socer indicia alia ejus rei reliquisset. In quo pro auctore ad exhibendum agente & vindicante consultus pulchrè respondit Sixtin. consil. 13. tom. 1. Marp. Consil. Aliud de quodam Joanne Canonico refert & super eo consultus respondet Andr. Barbatias consil. 39. Talem etiam thesaurum recipiunt obsoleti illi Petroniani, consutum in vili suâ tunicâ nuper amissâ & repertâ, quam panuciam vocant ne centonibus quidem bonis dignam. Petron. in Satyr. Eam in rem annotat Alvarot. tit. que sint regal. n. 8. si quis vendat tunicam, in quâ esset suta pecunia & ignorabat, pecuniam non esse venditam, arg. l. 1. ff. de his que in test. del. sequitur Chassan. Consuet. Burg. tit. des justices. §. 1. verb. espaves. n. 15.

35. Quid ergo? Si thesauri in fundo empto inventi dominium nactus

nactus sit emptor, ille verò thesaurus pinguisculus sit & unà cum fundo contra pretium solutum positus, plusquam altero tanto extulperet datum pretium, an beneficio l. 2. C. de res. ind. vendit. venditori subveniendum? Ludovicus Romanus ad. l. si quis cum aliter. n. 13. ff. de V. O. tribus rationibus ita se consuluisse, & inde obtentam causam fuisse refert. Contrà nos in alia omnia eundem cum alijs quos & sequitur Fachin. 2. contro. 20. vers. Quarto controversatur. Nibelstrã decis. 9. pag. 118. vers. Octavum. censemus. Idq; eà ratione quod thesaurus nihil commune habeat cum fundo, & pro eo habeatur ac si nondum extitisset antequam ex tenebris in lucem protractus fuit: quod thes. 33. satis dictum.

36. Hic verò religio nonneminem incesit ut dubitarit emptori thesaurum tribuere, si sciens illum latitare, fundum ab altero emat ideo ut suum thesaurum faciat. Talis fuit Ang. in summa: uti refert & ad ipsum inclinat Sylvest. in Sum. verb. inventum. n. 14. Eòdem propendere videtur Alciat. 7. parerg. 1. n. 1. & magis insuper Connan. 3. comment. 4. n. 4. omniumq; maximè nec ad eò in eleganter Valasc. de iur. Emphyt. quest. 5. n. 5. & 6. Qui ferè hoc volunt, summo jure inventoris esse totum, æquitate verò in consilium adhibita, ut conscientia à cauterio libera præstetur, venditori medietatem restituendam. Haud longè secus ac Panormitanus consulit illi, cui post completam usucapionem mala fides supervenit, in c. vigilanti. extr. de præscript. Uti quidem à Vulteo allegatur Instit. de usucap. num. 40. Hotomanus etiam ad §. thesauros. enunc. 3. eodem inclinat, cum inventionis initium facit scientiam. Ast cum ipse Salvator in parabola alleget hoc uti prudentis negotiationis exemplum, Matth. 13. vers. 44. Simile est regnum caelorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo, abscondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit universa quæ habet & em. it. agrum illum. Præterea cum tunica pallio propior sit, nec teneatur quis sua scientia magis uti ad commodum alterius quàm suum, atq; objectum hîc sit res in nullius bonis, nec ulli suum auferatur, l. 31. §. 1. de acquir. rer. dom. post D. Thomam 22. q. 66. art. 5. ad secundum. & Navarrum in Manuali c. 17. n. 175. in fin. ut quidem ab illo allegantur, rectè Molina absq; distinctione thesaurum solidum adscribit emptori, de iust. & iur. tract. 2. disp. 56. n. 4. Idemq; adseverat Barbos. ad l. 3. §. si fundum.

*dum. n. 32. ff. solut. matrim.* Exemplum hujus rei Zasius *ad l. 3 § Ne-  
rarius. in fin. ff. de acquir. poss.* largitur in proprijs suis ædibus: quas  
Episcopus Adrimitanus ipsius antecessor suafu sacerdotis senis  
amici sui, ut nullo pretio dimitteret instantis, emerat, & pòst  
ostenso loco thesaurum in ijs invenerat. Possit tamen quis me-  
tuere thesaurum hunc fuisse non thesaurum.

37. Si sub pacto de revendendo venditus sit fundus, & duran-  
te tempore revenditioni præstituto eruatur thesaurus, dubium  
est an emptor totum, jure dominij per emptionem sibi compa-  
rati, an verò dimidium ejus tantum, tanquam in re aliena in-  
venti, sum faciat? Quæstionis decisio pendet ab hoc, an so-  
lam commoditatem percipiendorum fructuum venditor in em-  
ptorem transtulerit: an verò dominium ipsum. At verò domi-  
nium ipsum translatum, nec per hujus pacti adjæctionem reten-  
tum esse, evincit *l. 2. C. de pact. int. empt. l. 6. C. de rer. permut. tum arg.  
l. fundi partem. ff. de contrah. empt. l. 21. §. 4. ff. de act. emp.* Pulchrè Za-  
sius *1. consil. 12. n. 34. & seqq.* Geil. *2. obs. 16.* Mynsing. *6. obs. 69. & 70.*  
Zoanet. *de empt. vendit. n. 71. & seqq.* Nec igitur videmus cur  
non emptor thesaurum suum facere debeat: §. *thesauros. l. de rer.  
divis. l. un. C. b. t.*

38. Atq; hætenus de illis qui domini fundorum ex ipsis eru-  
tos thesauros acquirunt. Non desit nunc causa dubitandi, utrùm  
& eos qui non plenè nec directò sunt domini, in thesauri occupa-  
tione idem jus maneat? Usufructuarium & maritum (& per  
consequens uxorem in dotalitio, Dan. Moller. *ad p. 2. Const. Saxon.  
c. 53*) una opera à perceptione thesauri in fundo dotali aut in-  
usufructum concessò inventi, alio quàm cujusvis extranei re-  
pemptoris fortuiti jure obtinenda excludit *l. 8. §. si fundum. ff. solut.  
matrim. ubi Barbos. n. 24. & 25.* Nebelstrã *decis. 10 per tot. Castill. de  
Usufr. cap. 37. n. 20 pag. 426.* Molin. *de l. & l. tract. 2. disp. 56. n. 6.* Cre-  
ditorem in fundo supposito, *l. 36. §. quod si creditor. ff. de A. R. D.  
Duar. cap. 4. ad eundem tit.* Emphyteutam & vasallum sat graves  
videbantur tutari rationes, quas post Fabrum *ad d. §. thesauros. n. 2.*  
cumulant P. Gregor. *3. Syntag. 11. n. 3.* Valasc. *de jur. emphyt. quest. 15.  
n. 1.* Coraf. *d. l. un. n. 17. C. de jur. Emphyt.* Choppin. *de doman. Franc.  
lib. 2. c. 5. n. 11.* & complures alij, quorum longissimam lineam  
recen-

recensent Barbof. *sape d. loco n. 26.* Gutierrez *d. quest. 36. n. 25.* & de  
*utel. p. 3. c. 26. n. 8.* Gilken. *ad d. §. thesauros. n. 28.* & Bocerus *cap. 3.*  
*de regal. fisci.* Quos secutos Placentinum rectè ab illis secessio-  
 nem fecisse opinamur: arg. *l. 69. ff. de legat. 3. junct. l. 1. ff. si ager ve-*  
*lig. iii. 23. in fin. lib. 2. feud. l. 8. l. si fundum. ff. solut. matrim.* arg. alio  
*l. 19. pr. de rob. cred. & l. 3. §. 1. de Oblig. & act.* Adde Gilken. *ad rubr.*  
*Inst. de acquir. rer. dom. n. 46. & seqq.* Ex quibus consequitur cum pro-  
 priarius aut Senior in fundo emphyteutico vel feudali thesau-  
 rum invenit (casu an datâ operâ nil interest) totum eum suum  
 facere, nec quidquam hujus emphyteutæ aut vasallo transcri-  
 bere, uti quidem opinatus fuit Gutierrez *4. pract. civil. quest. 36.*  
*n. 27.* An verò saltem emphyteutis & vasallis quâ unicum hoc  
 plus juris indultum, quàm alijs, ut, si datâ operâ in thesaurum  
 inquisiverint, medietatem nihilominus participant, secus ac qui-  
 vis extranei alij? Sic Valasc. *de jur. emphyt. quest. 15. n. 1. in f.* Quod  
 aquâ hæere puto. Nec adeò laborandum est cum Valasco ut  
 quâ thesaurum ipsi proffit in aliquo dominium ipsius utile: cum  
 fundi & thesauri ratio longè sit diversissima, *ut supra tactum.* Du-  
 bium & hoc est, an usufructuarius, creditor, emphyteuta, & va-  
 sallus, ultra medietatis unius participationem plenariam, & al-  
 terius usum habeat interim, donec jus in re ipsis competens fi-  
 niatur? Sic quidem Guil. Benedict. *in c. Raynucius. verb. cetera bo-*  
*na. n. 30.* tradidisse referunt. At rectè coloratum hoc non verum  
 appellat Carol. Molin. *ad consuet. Paris. part. 1. §. 37. n. 48. arg. l. 8. §.*  
*si fundum. solut. matrim. l. 3. §. Neratius. ff. de acquir. vel amit. poss. sequi-*  
*tur Barbof. d. loc. n. 25. Dan. Moller. lib. 4. semestr. c. 27. n. 2.* Omnium  
 horum ratio est, quod non tam in S U O inveniunt, quàm in  
 ALIENO: tum quòd thesaurus in fructu non sit. Aliter  
 omnino decidit hoc in vasallo & emphyteutâ Molina *de l. & l.*  
*tract. 2. disp. 65. n. 9.* Ut inventori quidem, quisquis ille sit, dimi-  
 dia salva sit ante omnia, altera verò dimidia ex æquo distribuatur  
 inter emphyteutam, & dominum; vasallum, & seniore: arg.  
*l. 63. ff. de A. R. D.* In quo licet appareat aliquis color æquitatis,  
 contra juris tamen est rationem.

39. Cùm toties nunc de invento thesauro disputatum sit,  
 non omittendum quando sufficienter, ut dominium tribuat, in-  
 ventus

F

ventus

ventus dicatur, an si solis oculis notetur, ceu hoc verbo JCrus  
*in l. 8. ff. ad L. Rhodiam de jact.* utitur: an verò tum demum cum ap-  
 prehensio corporalis secuta est? Christophorus Porcus *com. ad §.*  
*thesaurus. l. de rer. divis.* disputat pro adfectione solà, quam & gl.  
*in l. un. C. b. t. & in l. 3. ff. de acquir. rer. dom. & alibi,* assertum it. Cui  
 adstipulatores feruntur Socin. *l. 3. §. Neratius. n. 6. de acquir. poss. Dec.*  
*l. 1. n. 61. eod. tit. Valasc. de jur. emphyt. q. 15. n. 2.* Rectius alij contrà.  
 Non solùm arg. celebratissimæ *l. si Barsatoram. C. de fidejuss.* (obiter  
 notandum, non ideo Barsatoram istic comprehensam requiri,  
 quòd vis & proprietates verbi *invenire* hoc inferat: sed quia hoc  
 nec aliud sponderat Decurio: quippe enim antè constabat  
 latronem esse, nec ut detegeretur solùm opus erat. Notandum  
 & hoc, ineptè ex illa lege argui ad legem aut statutum arma gesta-  
 re, aut vestibus segmenta aurea aut serica Mediolanensia, quale  
 nuper in Gallià promulgatum, imponere prohibens, & cum illis  
 inventum puniens: quod Bárt. *ad d. l. si Barsatoram.* tradit, sequen-  
 tibus gruatim illum Doctoribus.) Sed & ex ratione juris: quòd  
 res nullius occupatione acquirantur *l. 3. pr. ff. de acquir. rer. dom. §.*  
*feræ. vers. Quod enim. l. de rer. divis.* Quod jure naturali, i. e. gentium,  
 sine possessione non quærat dominium, *l. 1. §. 1. de acquir. poss.*  
 Cujus paragraphi evolutionem quandoquidem nuper de eo ha-  
 bita amicabile collatio uti hæc nunc disputatum proponerentur,  
 ansam præbuit, ceu elophonem huic dissertationi imposituri su-  
 mus: si præmiserimus priùs de hujus apprehensionis notabili  
 quodam effectu.

40. Is verò est, ut illà secutà inventor non solùm suum fa-  
 ciat thesaurum, cum dominus loci licitis modis illum invenit:  
 sed & cum non dominus in alieno ipsum eruit (*vid. thes. 28.*) aut  
 cum veteris artibus illum venatus fuit, (*vid. thes. 23. & 24.*) pro  
 diversis inventionis modis aut totum aut partem fundi domino  
 aut fisco, citra aliam ab ipsis factam possessionis apprehensio-  
 nem, acquirat, §. *thesaurus. l. de rer. divis. l. 3. §. pen. ff. de jur. fisc. l. un.*  
*ubi Platea, n. 6. vers. item quâ actione. C. b. t.* Atq; hac in parte jus de  
 thesauris aliquid à mero jure civili accepit, ut ipso jure vi Con-  
 stitutionum hac de re promulgatarum dominium in quem tran-  
 feat: veluti fit in continuatione dominij in heredem & legata-  
 rium:

rium: vide pulchrè Donel. 4. com. 14. in fin. Ut rectè etiam excep-  
tionibus regulæ l. traditionibus. C. de pact. à Gifanio in explicat. d. l.  
traditis possit & hæc accenferi. Ex quo confectarium nunc est,  
vetitis artibus erutum thesaurum, & ante latam sententiam ad  
fiscum nihilominus pertinere, Molin. de l. & l. tract. 2. disp. 56. n. 1.  
tum, perperam glossam in sæpè d. §. thesauros. verb. domino. avocanti  
thesaurum aut ejus partem conditionem hîc ex lege dare: & ve-  
rius esse, per rei vindicationem illum avocari posse, l. in rem. ff. de  
R. V. Bocer. de regalib. cap. 3. n. 195. Nisi, quia furtum etiam in  
thesauro quâ portionem ejus alteri debitam committi placet,  
Menoch. lib. 5. præf. 30. n. 8. & consil. 316. ex D. Thomâ, Richardo, Na-  
varro: Sylvest. in Sum. verb. Inventum. n. 1. per l. falsus. 43. ff. de furt.  
juxta rei vindicationem & conditio furtiva competere dicenda  
est. Quo ipso evenit, quoniam furti & criminaliter agitur, non  
solum extra ordinem, l. fin. ff. de furt. sed & publico capitali judi-  
cio, Const. Frid. de pace tenend. §. si quis quinq. solidos. ut, licet, in spe-  
ciem lepida & festiva res sit inventio thesauri, & quæ vel puncto  
mobilis horæ facilè quem ditare possit, si adsit dexter Hercules,  
Fr. Balduin. ad §. thesauros. l. de rer. divis. ea quandoq; scorpionem  
habeat intus dormientem & funestos pariat exitus, uti monet  
Joan. Bernard. Muscatel. in prax. criminal. tit. ult. n. 135. & ex eò  
Joan. Bapt. Cost. de facti scient. & ignor. cent. 1. dist. 60. v. 1. Finge  
in alieno privato aut fiscali fundo inventum, atq; ideo si fortui-  
to, dimidium; si data operâ, totum alterius aut fisci factum the-  
saurum. Finge, legem aut Consuetudinem esse (ceui fieri posse  
thesi 21. dictum) uti omnis thesaurus fisco vindicetur, invento-  
rem verò vasrum id quod invênit, ut clam sibi habeat vel totum  
vel partem, tentare. Quòd si ejus rei indicia scintillent, anno-  
tatum est à magnis viris, vel quæstioni subijci inventorem: quo  
fit nonnunquam ut post contracta ossa thesaurum restituere,  
sæpè etiam ut se servert patrimonium totum impendere (adde,  
aut laqueo interversionem luere) necesse habeat, uti verbis Se-  
bastiani de Neap. loquitur Joan. Bernard. Muscatell. de cognit. de-  
lict. cap. ult. n. 135. Carer. pract. criminal. ubi agit de tortura, §. circa secun-  
dum, n. 29. Prosp. Farin. prax. crimin. lib. 1. tit. 5. quæst. 42. n. 40. & seqq.  
Dan. Möller. ad Constit. Electoral. c. 53. n. 8. & 4. semestr. 27. in fin.

41. Colophonem igitur huic dissertationi imposituri, ev-  
lusionem §. Neratius l. 3. de acquir. vel amitt. poss. veniam præsumit  
libertori extra oleas discursui. Et quia altiorē indaginem is §.  
meretur, nos etiam tanto facilius rogatam merebimur veniam.  
Indaginem illum mereri evincit, quod magni nominis Jcti in  
ejus interpretatione hæserunt, & fortassis impegerunt. Zafius  
enim (at quantus vir!) ad divinationes adigitur. Imò ideo quod  
Neratij & Proculi opinioni alio nullo modo color allini possit,  
quàm si divinemus hoc ideo de possessione thesauri illos sensisse,  
quod Manlius & Brutus alterum de ejusdem ufucapione senserint  
(in quo adfclam habet Barbofam ad sep d. l. 8. §. si fundum  
n. 36 ff. solut. matr.) colligit inde regulam: Tacitam & necessariam di-  
vinationem non solum unius vel duorum verborum, sed etiam totius sententiæ  
esse recipiendam: tandemq; exclamat: Dicat mihi aliquis in toto orbe  
terrarum cur non sit hic necessario divinandum? At mehercle Paullus  
vel per ipsam particulam *Ceterum*, duo hæc quaesita separat, &  
utrumq; ex semet ipso æquè principaliter refert, non quod alter-  
rum ex altero sit consecutarium. Et vero ex ipso contextu appa-  
ret, non auctoritate Manlij & Bruti (de quib; fortè ne per  
somnia in mentem ipsis hoc adferentibus veniebat) indu-  
ctos, sed ex principio jam antè posito consecutivè hoc adferuisse.  
Quale hoc principium? Nempe & solo animo possessionem  
adquiriti: vid. *th. seq.* At proburne hoc? Minimè: quod Paul-  
lus non attingit. Rectè verò ex hoc principio illatum, *Ideoq;  
continud me thesaurum possidere, si affectum possidendi habuero?* Rectè. At  
cur Sabini sententia præfertur? Non quod consecutio mala sit:  
sed quod principium, ex quo illa protuberat, falsum. Quam-  
quam sententiæ Sabinianæ suæq; ad stipulationis veram hanc  
rationem non exprimat hic Paullus. In principio igitur conci-  
piendo errarunt Neratius, non in principiato inde extrahendo.  
Ipsonetq; hic auribus nostris Medici summi regula lib. 4. de dif-  
ferent. puls. Non eas reprehendas definitiones, quæ ex præju-  
dicijs sectæ confectæ sunt, sed ipsa præjudicia tollenda. Uti igitur  
stante illo principio, solo animo possessionem acquiri, firmat  
stat consequentia, ergo *continud thesaurum possedero*, &c: sic illo ceu  
hypogzo diruto, coenacula etiam imposita ultrò ruinam sequuntur:

ur: h. e. id quod consequenter inde deducebatur. Nec puto  
hunc §. si rectis eum oculis intueamur, tam nobis reddere horri-  
bilem & *ἄπολεμὸν* JCum Paullum, uti hic à Zasio proponitur.

42. Atqui, obstrepat aliquis, Neratius & Proculus statuerunt  
& solo animo non posse nos acquirere possessionem: textu h. §.  
Neratius. hoc signatè exprimentè. Nempè hoc ulcus istud est,  
quod tangi poscitur. Suboluit magnis viris locum hunc  
adeò rectè non habere. Unde Zasio: *Illatio est impertinens ad ante-  
cedens, quod in ICis est mirabile*: ne repetam ejus divinationem & de  
divinationibus hinc factam regulam, thes. præced. laudatam.  
Barbosa, n. 35. *Illatio quidem non bene sequitur ex regulâ positâ*. Duarenus:  
*Verisimile est hic integram sententiam non referri, quam plenius aliquanto ex-  
presserat Neratius & Proculus, eamq; ideo describere non curavit Paullus, quia  
excabant eorum libri*. Ferretus & Et ideo, phrasin vult esse conjun-  
gentem non inferentem, ad d. §. Neratius. Quod Duarenus jam  
olim uti insolens & nusquam apud probos authores visum, cen-  
soriâ virgulâ notavit. Rad. Fornerius 3. *ver. quotid. cap. 23.* refert  
h. §. inter exempla inanium, otiosarum & inertium aetiologia-  
rum: suiq; tamen & quid faciat immemor Ferreto mox adstipu-  
latur, cujus interpretatione admisâ non debebat h. §. in censurâ  
aetiologiarum inertium referri. Quorsum hæc tam prolixè?  
Horsum: Ut quod nuper urgebamus, & ex illo demum tem-  
pore à Gifanio etiam motum vidimus, ad illud denuo adstruen-  
dum viam nobis sternamus, abundare hic particulam negantem.  
Quam uti extorem hinc proijciendam censeamus hæc necessa-  
ria facit ratio: Quia secus à Zasio & Forneriano convicio im-  
munis hic §. præstari nequit, & quam in faciem veritas *ἀνακρίσ-  
θη* se prodit: nec medetur Duareni divinatio, aut anomala Ferreti  
explicatio. Præter hanc necessariam, faciunt & probabiles ra-  
tiones aliæ: I. Quia solemne hoc erratum tam superfluarum,  
quàm deficientium negationum, cum in alijs, tum & in ipsis Pi-  
sanijs libris, testib. Ant. August. 1. *em.* 2. & 4. *emend. ult.* Horom.  
& Cujac. *passim in observ. & alibi*: Elb. Leonino 7. *emend. cap. 10.* &  
alijs qui cumulos congesserunt. II. Quia constat Interpretes,  
ubi scrupulus hæsit, sapissimè textui consultum ijsse additio-  
ne aut demptione negativæ. Unde tot Accursianæ formulæ,



vel legas affirmative, vel legas negative, &c. Potest igitur & hinc ab interpretibus invecata esse. III. Quia *ἀνιστορία* & Juris & aliarum rerum fuit interpretibus medijs ævi solemnibus: uti multam etiam ridicula glossis & interpretationibus suis infarserint. Ut mirum cui fieri non debeat, in hoc legis hujus §. qui in fine quidem jus continet, initio verò & medio historiam juris, oculos excucuisse interpretibus, per quorum manus ad nos libri Juris Civilis transiit, ut historiam Juris pro Jure arripuerint, & non quadraret, negativam intruserint. IV. Non infrequens est geminationes syllabarum, errores genuisse, idq; & in jure civili & apud varios auctores diversi nostri seculi Aristarchi notarunt. Potuit igitur & hinc ex ultima syllaba *ἄ* animo enatum esse non. Cujusmodi planè errorem notavimus primi in gloss. ad can. 1. dist. 31. & sesquicentenariâ præscriptione tutantem se lectionem quod si qui subdiaconi NON sunt, non cogantur continere, volentibus proletarijs editionibus ipsoq; contextu canonis evincente rescriptimus: quod si qui subdiaconi modo sunt. Error fuit ab antiquo scriptoris cõpendio *mō* & extritione primi temonis in primâ litera: nullâ re admissu facilius nostro præsentem, nisi quod temo illic iusto se titulo superimposuit literæ, hinc verò clam irrepsit. At hujus tam abundantia quàm defectu, sæpe corrupta veterum esse loca, post alios duobus exsequitur capitibus Rad. Forner. 3. rer. quotid. cap. 26. & 27.

43. Subijcit huic Neratij & Proculi de thesauro opinioni, licet minùs veræ minùs tamen etiam absurdæ, aliam Manlij & Bruti longè exorbitantiorem & magis erroneam: qui volebant fundo usucapto thesaurum etiam, quem possessor nesciebat in fundo latere, usucapto. Quam pulchro dilemmate profligat, aut nescit possessor thesaurum, & non possidet: aut scit, & si possidet est malæ fidei possessor. Remotior hæc à verò ista alterâ Neratij & Proculi: cum ista possessionem solam largiatur, hæc etiam usucapionem. At plus est usucapere posse, quàm possidere: cum hoc in injusto etiam possessore verificetur, illud in solo iusto.

44. Id verò quod ab antiquo interpretes turbavit, intactum non relinquendum: agatur nè hinc de thesauro propriè an impropriè dicto, hoc est de cognita an incognita pecuniæ depositione?

Indi-

Indistinctè putamus illud positum de omni depositione in adser-  
tione Manlij & Bruti: Cæterùm in notâ Pauli, licet in priore di-  
lemmatis parte pariter indistinctè capiatur, (utrinq; enim verum  
quòd ne possideat quidem, nedum ut usucapiat: nec obicit quod  
de usucapione adijcitur, quod remotivè fit nec positivè, notante  
hoc rectè Zasius) in posteriori tamen, *sed & si sciat*, &c. thesaurum  
depositionis cognitæ solùm innui asserimus; idq; cum Hugolino  
contra Accursium, qui accipit hic *quia scit alienum*, h. e. non suum  
& exemplum hoc facit regulæ: *Ompes scire debent quod suum non est,*  
*ad alios modis omnibus pertinere: l. ult. C. unde vi.* Quo admissio nun-  
quam aut valde rarò thesaurus occupatione acquiretur, magis  
quòd vix ullus tam possit esse ἀδίστατος, quin superent, licet  
ignorentur, sin minus dominus, saltem ipsius heredes. Nunquam  
etiam usucapione: quam tamen in alios quandoq; dominium  
transferre thesauri negare non possumus, nisi inepti vaniloquij  
veteres illos JCros hac de re disputantes arguere velimus: Quan-  
do verò usucapiatur, id thesi 16. dictum.

45. Atq; hæc quidem uti quid deliciarum (& Zasius *ad d. §. Ne-  
rarius. in fin.* deliciosam; nonnullas quæstiones pulchras & convi-  
vales; Choppinus verò de thesauro disputationem planè au-  
ream appellat: & amœnitatis, quæ in hac materiâ, meminit Fr.  
Balduin. *ad §. thesauros.*) sub brevi involucre §. *thesauros. l. de rev.  
divis. & l. un. C. h. t.* atq; aliorum correspondentium textuum la-  
titet, dispalescat, spretis thesum legibus, & fortassis non absq;  
Alcinoi apologis (ne quid diffiteamur) proponere libuit. Addi-  
to hic sub exodium, ex tribus congressuum generibus, quæ fa-  
ciunt διδασκαλιῶν, quod institutionis; ἐπισημῶν quod victoriæ;  
πειρασῶν, quod exercitij gratiâ in eruenda veritate instituitur:  
sin exilitas nostra nos desperare iubet de primo, saltem ad Ga-  
ramantas ire jussu secundo, turpis πνευρολογίας fonte, tertij nos  
asseclas profiteri, & quos cum D. Augustino, *non pigeat,*  
*sicubi hæsitamus, querere; nec pudeat, sicubi*  
*erramus, disceere.*

F I N I S.

## Corollaria.

I. *Quæ illa prior via ex duabus, quis in casu Juliani l. 7. pr. vers. nec videtur. minori vendenti consultum visum fuisse glossa ibid. verb. adversari. ait, his verbis: Una, contra emptiorem ex vendito ad decipiendum?*

II. *Quæ mens Bulgari, in gloss. ibid. verb. si in hoc ipso. cum ejus dictum refertur: Præcessit venditio, ut infirma sequatur traditio, ut infirmenda per actionem de dolo?*

III. *Ratio publici aspectus, rationem juris in tigni juncti controversia vicit, cum dominus tignum suum vindicare & ejus nomine ad exhibendum agere vetitus fuit: Cum contra b. f. possessorem in duplum actio datur: Cum exemptione & restitutione tigni ei, qui junxit, liberare se integrum non est.*


IV. *Directa libertas & per indirectum data fuit.*

V. *Quid in l. 12. §. 1. ff. de usu & habit. folia? Fortassis idem quod funes in vetustis nonnullis editionibus in l. 12. §. 18. de instruct. vel instrum. leg.*


## Erratorum quorundam Indiculus.

Thef. 2. lin. 5. leg. *thesaurus*. thef. 6. lin. 3. leg. *Betsius*. thef. 11. lin. 3. leg. *sbe aurum*. thef. 13. lin. 3. & *inventorem*. thef. 14. lin. 21. tolle *ne*. lin. 37. leg. *opes suas*. thef. 27. proximâ ab antep. tolle *nondum*. thef. 28. & 29. corrige numeros initiales. thef. 33. lin. 45. leg. *prediviti*. Sæpius unius literæ vitium deprehendes, semel etiam atq; iterum per festinationem factam lacunam: ac imprimis in thef. 28. At illas hîc omnes annotare, & has nunc explere abs re esset.









insequenter inde deducebatur. Nec puto  
oculis intueamur, tam nobis reddere horri-  
tum Paullum, uti hic à Zafio proponitur.  
epat aliquis, Neratius & Proculus statuerunt  
posse nos acquirere possessionem: textu h. §.  
xprimente. Nempe hoc ulcus istud est,  
Suboluit magnis viris locum hunc  
e. Unde Zafius: *Illatio est impercimens ad ante-  
mirabile: ne repetam ejus divinationem & de-  
factam regulam, thes. præced. laudatam.*  
*dem non bene sequitur ex regulâ positâ.* Duarens:  
*sententiam non refert, quam plenius aliquanto ex-  
ulus, eamq; ideo describere non curavit Paullus, quia*  
Ferretus & *Et ideo, phrasin vult esse conjun-*  
*tem, ad d. §. Neratius.* Quod Duarens jam  
usquam apud probos authores visum, cen-  
Rad. Fornerius 3. *ver. quotid. cap. 23.* refert  
nanium, otiosarum & inertium ætiologia-  
quid faciat immemor Ferrero mox ad stipu-  
atione admiffâ non debebat h. §. in censum  
m refert. Quorsum hæc tam prolixè?  
uper urgebamus, & ex illo demum tem-  
motum vidimus, ad illud denuo adstruen-  
amus, abundare hic particulam negantem.  
hinc proijciendam censeamus hæc necessa-  
fecus à Zafiano & Forneriano convicio im-  
nequit, & quam in faciem veritas ἀνακρίλα-  
etur Duareni divinatio, aut anomala Ferreti-  
anc necessariam, faciunt & probabiles ra-  
solemne hoc erratum tam superfluarum,  
gationum, cum in alijs, tom & in ipsis Pi-  
t. August. 1. *em. 2. & 4. emend. ult.* Horom.  
& alibi: Elb. Leonino 7. *emend. cap. 10.* &  
gesserunt. II. Quia constat Interpretes,  
sapiissimè textui consultum ijsse additio-  
gativæ. Unde tot Accurthana formula,  
F 3. vel